Annus XVI. September 1902. N. 9.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA NOVISSIMA

I.

VICEN.

Quum nuper declarata sit uti publica pro navigantibus Capella fixa in navibus, et cum non raro contingat quod, dum naves in portu inveniuntur, familiae navigantium et officialium, aliaeque personae, diversis ex causis eas adeant; hodiernus Capellanus primarius Societatis Transatlanticae Barcinonensis, S. Rit. Cong.ni sequens Dubium pro opportuna declaratione humillime exposuit, nimirum: *Utrum omnes qui in dicta Capella sacrosancto Missae Sacrificio adstant, illud audire valeant in adimplementum praecepti de Sacro in festis audiendo.*

Et Sacra eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, proposito Dubio respondendum censuit: *Affirmative, iuxta Decretum* Vicen., *diei 4 Martii 1901.* Absque speciali Indulto.

Atque ita rescripsit, die 10 Maii 1901.

D. Card. FERRATA, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, *Archiep. Laodicen., Secret.*

II.

ABULEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Cathedralis Abulensis Dioeceseos, in Hispania, et redactor Calendarii, ut omnia recte fiant, de consensu sui R.mi Episcopi, S. Rit. Cong.ni ea quae sequuntur humillime exposuit; videlicet: " Ante annum 1893 diebus 5 Maii, 27 Augusti et 22 Septembris in praefata Dioecesi actum fuisse de Festis secundariis Conversionis S. Augustini, Transverberationis Cordis S. Theresiae et Impressionis Stigmatum S. Francisci; tribus aliis Festis primariis eiusdem ritus atque iisdem diebus respective occurrentibus, in primas sequentes dies liberas perpetuo amandatis, videlicet 14 Maii, 1 et 26 Septembris. „ Quaeritur utrum, vi clausulae derogatoriae Decretorum 27 Iunii 1893 et 24 Augusti 1894, tria praedicta Festa secundaria respectivis Primariis eiusdem ritus posthac postponi debeant, et in proximiores praedictos dies, 14 Maii, 1 et 26 Septembris amandari?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, rescribendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 17 Martii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, *Archiep. Laodicen., Secret.*

ANIMADVERSIONES.

Ante omnia revocandas ad lectorum memoriam censemus liturgicas normas, quae Festorum occursum hucusque moderabantur; sic enim dubium S. R. C. propositum subiectamque responsionem melius valebunt omnes comprehendere. Itaque, haec duo sufficiat innuere: 1° Regula, qua Festa *primaria* praeferuntur *secundariis*, tam in occursu quam in concursu ac repositione, ante annum 1893 nondum erat solemniori aliquo Decreto comprobata, presertim quoad Festa ritum duplicem minorem non excedentia; 2° Doctrina, quae Festis in die *natalitia* positis vel *quasi-natalitia* praeferentiam adscribit in occursu perpetuo super Festis in die tantum *assignata* constitutis, ante eundem annum 1893 attendebatur solum in reformatione perpetui Kalendarii per Apostolicam Sedem approbanda, non autem in novi Officii concessione; quo quidem in casu, et in occursu accidentali, servandae erant communes occurrentiae leges.

Quare, cum dies 5 Maii recolendae S. Augustini Ep. Conf. et Doctoris Conversioni, et dies 27 Augusti Transverberationi Cordis S. Theresiae Virg. destinata fuerit veluti *quasi-natalitia*, nil mirum si apud Abulensem Dioecesim, spreto inter primaria Festa et secundaria discrimine, bina eadem secundaria Festa in antiquis coli pergerent sedibus, quamvis dies 5 Maii et 27 Augusti pro Festis primariis eiusdem ritus et classis, nempe S. Pii V et S. Iosephi Calasanctii, fuisset serius veluti *quasi-natalitia* iure praefinita. Attamen comprehendi nequi omnino, qua de causa apud ipsam Abulensem Dioecesim assignatum sacrorum S. Francisci Stigmatum Festum fixe repositum fuerit die 22 Septembris, quae a Pio VII fuit recolendae S. Thomae a Villanova Festivitati iamdudum selecta. Auctoribus namque liturgicis ratum firmumque a remoto erat tempore principium, quo Festa aliquibus in locis impedita vetantur iis fixe reponi diebus, in quibus aliud offi-

cium aut Festum Duplex, vel Semiduplex ad dies infra Octavas non pertinens, invenitur in Kalendario universalis Ecclesiae occurrens vel affixum. Haec autem omnia suadent, Kalendarium Abulensis Dioecesis a saeculo XVIII nunquam fuisse reformatum, et ab Apostolica Sede correctum; nisi, quod aegre potest admitti, vel legitimae Auctoritatis adesset pro continuando invecto more licentia, vel in Redactore illius Kalendari dioecesani error et oscitantia ferme non credenda.

Quidquid autem fuerit de legitimitate huiuscemodi usus, quo in Abulensi Dioecesi Festum sacrorum Stigmatum sub die 22 Septembris colebatur fixe repositum: certa res est nunc atque evidens omnino, Festis secundariis in primam insequentem diem liberam amandatis, celebranda esse tria Festa primaria apud Ecclesiam universalem iis diebus occurrentia, nempe S. Pii V, S. Iosephi Calasanctii atque S. Thomae a Villanova, pro quibus Sanctis relativa dies 5 Maii, 27 Augusti et 22 Septembris censetur esse *quasi-natalitia* per Apostolicam Sedem legitime assignata.

Hisce ad rem nostram praenotatis, si quaestio ita fuisset absolute proposita, num videlicet Festa secundaria debeant in occursu etiam perpetuo Officiis primariis eiusdem ritus et classis posthaberi, quando utraque occurrant in die *natalitia* vel *quasi-natalitia;* nullus esset vel mediocriter in iuris liturgici nunc scientia versatus, qui affirmativam dubio responsionem ab Apostolica Sede non expectasset. Decretum namque Generale sub num. **3808**, quo S. R. C. die 27 Iunii 1893 praeferentiam tribuebat Festis primariis super secundariis eiusdem ritus et classis in occursu et concursu ac repositione, sub die 2 Iulii eodem anno fuit solemnissime a Leone XIII confirmatum. Neque ullum supererat dubium, ex ritu eorumdem Festorum proveniens; quum eadem S. R. C. per Decretum Generale sub num. **3837** declaraverit die 14 Augusti 1894, distinctionem inter Festa primaria et secundaria prius evulgatam, etiam Duplicibus minoribus et Semi-

duplicibus esse applicandam in occursu et concursu ac repositione.

Quamquam vero haec omnia, si de accidentali agatur Festorum occursu, nullam importent difficultatem, cum omnino evidens sit res; inquiri tamen poterat, utrum haec de perpetuo Festorum occursu forent accipienda, an tantum de accidentali. Item, etiamsi haec de utroque occursu debeant accipi, quaeri tamen adhuc licebat, utrum si agatur de Festis, non quidem noviter concedendis sed iam indultis, Decreta super primariis et secundariis Festis evulgata obligent statim in perpetuo eorumdem occursu Festorum vi *retroactiva*, an solum in nova perpetui Kalendarii reformatione. Hisce omnibus in re propositis quaestionibus Decretum S. R. C. in *Abulensi* opportune occurrit, innuens leges super secundariis et primariis Festis latas, officiis etiam ab antiquo tempore concessis applicandas esse in occursu accidentali ac perpetuo, et quidem statim post earum evulgationem, non autem esse suspendendas usque ad futuram Kalendarii perpetui reformationem.

Aliquam certe controversiam ingerere posse videntur verba Decreti Generalis num. **3811**, per quod S. R. C. die 21 Novembris 1893 haec praecipiebat: " II. Si ex duobus Festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die *natalitia*, aliud in *quasi-natatitia*, illud caeteris paribus huic praeferatur. Si vero quod est in die *quasi-natalitia* fuerit potioris ritus, aut aequalis quidem, sed *proprium*, vel primarium, vel potioris dignitatis, alteri praeferatur, quod die prima libera reponetur iuxta Rubricas. „ Relata enim Decreti huius verba, uti sonant accepta, videntur quidem in paritate ritus et classis praeferentiam dare Festo magis proprio in die *quasi-natalitia* constituto super Officiis in die *natalitia* collocatis, quamvis illud secundarium et haec primaria fuerint et habeantur. Ratio sane dubii sita in eo esse videtur, quod *proprietas* Festi ut prima numeratur, et ante alias

ex *primarietate* ac *dignitate insigni* exurgentes, dotes quae iuxta Decretum debent attendi ad praelationem alterutri ex occurrentibus Festis in casu decernendam ordinarie proposito.

Hinc sane consequeretur, in Abulensi Dioecesi Festa *secundaria* sed *magis propria* Conversionis Sancti Augustini atque Transverberationis Sanctae Theresiae celebrari respective posse die 5 Maii et 27 Augusti; quamvis eisdem diebus occurrant Festa primaria eiusdem ritus Ecclesiae universalis. Nihilominus, in hoc Decreto, videtur S. R. C. voluisse eas tantum qualitates innuere, quae praeferentiam Festis in die *quasi-natalitia* positis conciliant super Officiis in die *natalitia* occurrentibus, non autem earumdem qualitatum statuere ordinem intendisse; quod manifeste probatur, si secundum ipsius Decreti numerum cum primo conferatur. Si enim maior Festi *proprietas* in die *natalitia* celebrati, ad praelationem super altero Officio in die pariter *natalitia* vindicandam, attendi nequit omnino, nisi et primarii ratio, ac dignitas insignis fuerint utrobique pares: certe, eadem maior Festi *proprietas* multo minus ante primarii rationem insignemque dignitatem considerari poterit in die *quasi-natalitia*, quae certe minoribus ornatur iuribus quam dies *natalitia*. Non est autem diffitendum, posteriora verba Decreti Generalis clarius ita potuisse disponi: "Aut aequalis quidem sed primarium, vel potioris dignitatis, vel magis proprium, alteri praeferatur."

Neque etiam hic inutiliter possumus agitare quaestionem, etiam interpretando subsequenti Decreto congruentem, utrum nempe approbatio per S. R. C. Kalendariis perpetuis attributa, possit efficere, ut dies celebrandis extra *natalitiam* Festis constituta evadat veluti *quasi-natalitia* Personarum ac Mysteriorum in locis pro quibus Kalendarium approbatur. Nos triplicem hac in re, omnibus et singulis rationum momentis bene perpensis, exhibemus responsionem: 1. Si Persona vel Mysterium celebretur apud Ecclesiam universam in die *natalitia* aut *quasi-natalitia*, et utraque haec dies in Ka-

lendariis particularibus impediatur, ita ut Festum reponi debeat in primam sedem liberam; haec sedes noviter affixa nullatenus reputari valet ceu dies *quasi-natalitia*, sed uti mere *assignata*. Re sane vera, approbatio Apostolicae Sedis Kalendariis perpetuis adnexa adeo parum suffectam solet in casu diem *ceu quasi-natalitiam* constituere, ut potius sine Indulto speciali vel immemorabili consuetudine, si qua Ecclesia ceu Titularem vel Patronum veneretur Sanctum vel Mysterium die simpliciter *assignata* in approbato Kalendario collocatum, haec non utique in die *assignata* celebrare possit, sed potius adigatur ipsum in die *natalitia* vel *quasi-natalitia* simul cum Ecclesia universali percolere; 2. Si Persona vel Mysterium nullo apud universalem Ecclesiam annuo decorentur Festo, et dies *natalitia* eorum non fuerit ad celebrandam Festivitatem electa ex notis Apostolicae Sedi causis, vel decursu temporis ob novorum concessiones Officiorum impedita remaneat: tunc utique dies extra natalitiam praestituta, erit uti *quasi-natalitia* reputanda pro particulari Ecclesia; adeo ut Titularem et Patronum recolere minime haec possit in die propria *natalitia*, sed solum in eisdem *assignata* celebrare relativum Festum adigatur die, quae in casu veluti *quasi-natalitia* pro suis locis merito computatur; 3. Quare, ut una omnes breviter regulas amplectamur, dicere possumus: Si quae particulares Ecclesiae ad celebranda Festa adiguntur, non quidem ratione sui, sed ratione alterius ad quam veluti partes attineant: uti Ordo seu Congregatio Regularis aut Dioecesis ad totam Ecclesiam; Provinciae Regulares ad respectivum Ordinem; Coenobia seu Monasteria ad Provinciam Regularem; item Paroeciae ad Dioecesim: in singulis hisce casibus Ecclesiae particulares cum magis universaliore convenire debent in eligenda die pro recolendis Sanctis vel Mysteriis. Adeo quidem, ut si una conformare se cum reliquis ob impedimentum nequeat in die *natalitia* vel *quasi-natalitia* amplectenda, solummodo diem *assignatam*

non vero *quasi-natalitiam* sibi peculiarem in celebrandis hisce Festis valeat obtinere. Hoc autem intelligendum esse patet, re generatim et per se tantum inspecta; nam ex Indulto posset, vel ex immemorabili etiam consuetudine, Ecclesia particularis communia Festa in die *natalitia* vel *quasi-natalitia* sibi peculiariter propria ac diversa interdum peragere.

Necesse erat haec fusius evolvere: quoniam si sedes alicubi assignata extra *natalitiam* diem aut *quasi-natalitiam* pro celebrando Ecclesiae universalis Festo quopiam illic impedito, evaderet veluti dies *quasi-natalitia;* certe apud Dioecesim Abulensem Festa primaria S. Pii V, S. Iosephi Calasanctii, atque S. Thomae a Villanova possent ac deberent in assignatis hucusque diebus immota servari, quippe qui in casu tamquam dies *quasi-natalitiae* per approbationem Kalendarii perpetui ab Apostolica Sede obtentam iam evasissent. Ac revera, cum omnia diei *natalitiae* iura in *quasi-natalitiam* legitime ac stabiliter transmittantur, neque sine Apostolico Indulto amplius liceat Festum in alia die etiamsi *natalitia* recolere: equidem in Dioecesi Abulensi et alibi, dies *assignata* ad colendum iuxta Rubricas impeditum Ecclesiae universalis Festum, nequit unquam ceu *quasi-natalitia* computari; utpote quae ob latas super primario et secundario quolibet Officio leges debeat relinqui, ut Festum ipsum ibi prouti apud universam Ecclesiam die *quasi-natalitia* auctis iuribus denuo peragatur. Hanc porro nostram sentiendi rationem Decreto in *Abulensi* confirmatam vidimus, atque apud alios probatam Auctores liturgicos.

Quamquam vero haec omnia videantur nullam in theorica secum ferre controversiam, in praxi tamen inquiri nonnulla adhuc valent, praesertim pro Kalendariis ab Apostolica Sede probatis, et eo vel magis post Decreta super primario quovis et secundario Festo et extenso diei *quasi-natalitiae* ac tantum *assignatae* discrimine promulgata revisis; si nempe aliquod Festum secundarium veluti in die *natalitia* aut *quasi-natalitia*

collocatum, adhuc in eadem reperiatur sede, quae est veluti *natalitia* aut *quasi-natalitia* pro altero Festo primario Ecclesiae universalis eumdem ritum habente. Inquiri enim etiamnunc potest, utrum debeat Festum secundarium particulare statim a sede hucusque obtenta dimoveri et in primam insequentem sedem liberam fixe apponi, ut detur locus Festo primario Ecclesiae universalis in die *natalitia* huius aut *quasi-natalitia* constituto; an possit in antiqua ipsum sede retineri, quousque saltem perpetui Kalendarii reformatio quamprimum habenda perficiatur.

Si Decretum in *Abulensi* rigorose accipiatur, statim utique secundarium Festum huiusmodi oportet a sede hucusque occupata expelli, in eamque primarium Festum illud restituere. Immo, iuxta Decretum n. **3811**, solummodo reformandi Calendarii tempus opperiendum sinitur, quum tam novum pariter quam antiquum Festum in die *assignata* utrumque reperiatur; minime vero hoc permittitur, cum horum alterum vel utrumque in die *natalitia* vel *quasi-natalitia* sit collocatum. In illo namque Decreto haec habentur expressa et unice sub hoc numero: " IV. Si duo Officia, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die *assignata;* antiquum novo praeferatur, quamvis nobiliori, vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam, aut ratione primarii, vel dignitate posthabitis. " Cum nihilominus perpetuum alicuius Ecclesiae Kalendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis ac prioritas translationis. „ Quoniam ergo ea, quae pro uno tantum casu a S. R. C. permittitur, pro aliis generatim occurrentiis censeatur ipsum inhiberi: hinc liquido colligitur, reformandi perpetui Kalendarii tempus opperiendum permitti ab eadem S. R. C. solummodo, cum agitur de duobus officiis in die *assignata* occurrentibus; non vero annui, cum res fuerit de duobus Officiis, quorum alterum vel utrumque in die *natalitia* aut *quasi-natalitia* recurrat. Itaque Decreto *Abulensi*

inspecto, cui vis accedit ex Decreto Generali n. **3811**: apud particulares Ecclesias statim, iuxta novam iuris liturgici normam, perpetuas Officiorum translationes oportet immutari; non autem expectanda esse videtur Kalendarii perpetui reformandi occasio futura, ut novae leges in executionem mittantur.

Nihilominus, si haec partialis Kalendarii perpetui correctio graves videatur difficultates inducere, et confusiones in divini Officii Ordine redigendo parare, satius esse credimus, ac praesertim si agatur de Officiis ab antiquo tempore recitatis, ut spreta qualibet consideratione Festum secundarium sua interim die retineatur; quousque tandem congrua perpetui Kalendarii emendatio quamprimum Apostolicae Sedi perficiatur exhibenda, in quo stabilis Officiorum Festorumque repositio ad novissimas Rubricarum Decretorumque normas ordinetur. Incommoda enim vere gravia secus ineluctabiliter oritura, efficere possunt, ut certa latarum legum obligatio interea maneat suspensa, donec de opportuno remedio sine ullis hac in re difficultatibus fuerit provisum in Kalendarii perpetui correctione per Apostolicam Sedem semper approbanda.

Revera quaedam non desunt exempla, quae nostram sentiendi rationem apte confirmare videntur. Apud Breviarium Romano-Seraphicum sub die 6 Februarii agitur Festum assignatum S. Agathae Virg. et Mart., quod die praecedenti a Festo digniori SS. Martyrum Iaponensium impeditur; die autem 23 Februarii celebratur Officium pariter repositum Cathedrae Anthiochenae S. Petri, quod antecedenti die praepeditur a Festo potiori S. Margaritae de Cortona. Porro, ut ex iis quae superius disseruimus eruitur, dies 6 et 23 Februarii pro S. Agathae respective atque pro Cathedrae Antiochenae Officio praestituta, nonnisi tamquam *assignata* poterit pro alterutro Festo considerari. Hisce autem duobus diebus apud Ecclesiam universam oc-

currit respective Festum S. Titi, necnon S. Petri Damiani, quorum prius est in die *quasi-natalitia*, posterius in die vere *natalitia;* ideoque utrumque statim sine ulla mora Festum preferendum esset aliis Officiis in die simpliciter *assignata* occurrentibus. Decretum namque Generale num. **3811**, hanc absolute regulam servandam iniungit: " III. Si ex duobus Sanctis, quorum alter antiquus, alter novus, unus sit in die *natalitia* aut *quasi-natalitia*, alius in die *assignata*, seu non propria aut *tamquam-propria;* ille, ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis, praeferatur huic, qui prima die libera reponendus erit iuxta Rubricas. „ Attamen, non obstante hoc Generali Decreto, in binis editionibus Breviarii Romano-Seraphici anno 1900 Ratisbonae et anno 1901 Tornaci peractis, neque S. Titus neque S. Petrus Damianus diei suae respective *quasi-natalitiae* et *natalitiae* restituebantur, neque Festa S. Agathae vel Cathedrae Antiochenae ab assignatis olim sedibus expellebantur, ubi iuxta novum ius liturgicum esse amplius non poterant. Licebitne ergo, ante reformationem perpetui Kalendarii Romano-Seraphici, cuilibet annui pro divino Officio et Missa Ordinis Redactori hanc correctionem efficere? Nobis negativum quaestioni responsum videtur esse tribuendum, ob multa et gravia incommoda quae secus essent oritura, ac praesertim ob difformitatem inter Ecclesias unius eiusdemque Ordinis alioquin sic enasciturам; idque eo vel magis, quod de licentia S. R. C. bina illa prodibat in lucem Breviarii Romano-Seraphici editio.

Insuper eadem S. R. C. sub die 13 Septembris 1882 permisit, ut Officia per Constitutionem Pp. Leonis XIII Ecclesiae universali concessa, ubi determinatis iam per Constitutionem *Nullo unquam* d. d. 28 Iulii 1882 diebus aliquo Festo fixe antea reposito impedirentur, possent haec in primam insequentem sedem iuxta Rubricas vacuam amandari. Quum enim permissio S. R. C. nullam conditionem

apposuerit, uti omnes norunt: hinc, si iisdem diebus Officium ritus inferioris, vel saltem secundarium, vel minori dignitate praeditum, vel minus proprium habeatur iam affixum, debebit ne perpetua Festorum translatio, iuxta novissima Decreta, corrigi et innovari? Nos item negative respondendum esse censemus, ob controversias hac in re facile orituras, et incommoda multa sane gravia indidem proventura; quae merito suadent, ut executio novorum Decretorum Rubricarumque prudenter suspendatur, quousque saltem conveniens Kalendarii perpetui correctio per Apostolicam Sedem approbanda agatur.

Ita pariter in casu nostro, si similia oritura timeantur incommoda, probabilius arbitramur, Decretum in *Abulensi*, extra saltem hanc Dioecesim, posse interim suspendi et solum in agenda quamprimum Kalendarii reformatione in praxim congrue deduci; eo vel magis quod Decreta saepe non magnam cito habeant vim retroactivam, quemadmodum de Rubrica circa socios Patronorum et Titularium interdum omittendos post Tabellam occurrentiae posita, hucusque factum esse iam novimus.

Hoc tamen nullatenus approbari posse credimus in casibus, quibus graves unquam difficultates exoriturae non apparent; uti nempe si agatur de reformando, non ordine translationum in Breviario Ordinum seu Congregationum Regularium vel Dioecesum iam edito cum Missali respondente, at unice de ordine translatorum corrigendo pro aliquo Coenobio vel aliqua Ecclesia, quae suam Appendicem editam non possideat, ac tantum in annuo Kalendario perpetuas notatas habeat suorum Festorum translationes. In hisce enim casibus, uti apparet, Decreta vim obligandi et cito integram sortiri videntur, eo quod immediata eorum executio nullam in casu seriam difficultatem nata est excitare.

Omnia tandem, quae hucusque in longum disseruimus,

legitimae Auctoritatis et sapientiorum examini et iudicio humiliter exhibemus, eorum sententiam parati lubenti prorsus animo accipere.

Fr. Paschalis a Perusia O. F. M.

S. CONGREGATIONIS CAEREMONIALIS

RECTORIBUS ECCLESIARUM URBIS.

DECRETUM.

Solemne semper Ecclesiae fuit, in sacris peragendis, splendidiore ritu quandoque uti, qua exteriori pompa sensus hominum perculsi, rei celebrandae magnitudinem intelligerent melius. Tunc vere divinae Christi Sponsae verba regii Vatis aptantur: " Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. " Augustiorem autem quum faciant ritum, non modo templi apparatus et ornamenta reliqua, sed etiam sacra peragentium excellens auctoritas ac dignitas, idcirco ad solemniora haec primores antistites invitari solent, crebrius quidem Episcopi, rarius S. R. E. Cardinales. Utriusque ordinis decori, maxime vero purpuratorum Patrum, satis lege consultum est, et sua cuique iura, honores, privilegia definita sunt, quum in ceteris, tum etiam in iis quae ad sacros ritus quosdam splendidius celebrandos pertinent. Quia tamen nostra maxime tempora postulare videntur ut caveatur sedulo, ne sacrorum antistitum maiestas quotidiano usu penes populum vilescat, S. Congregatio Caere-

monialis censuit ecclesiarum Urbis Rectoribus servandas normas constituere, quae sequuntur (1):

I. Quoniam interest magni ut Patrum Cardinalium sarta tectaque servetur dignitas, quotquot in Urbe sunt ecclesiarum rectores admonentur, ne tam crebro neque tam facile purpuratos Patres invitent, etiamsi de sacris solemnioribus agatur (2).

II. In Missis et in Vesperis pontificalibus, praeterquamquod standum erit menti et praescriptis libri Caeremonialis, serventur omnino conditiones quae sequuntur:

1. Ut aequa sit et probanda causa cur E.mi PP. Cardinales invitentur, idest, ob singularem et non communem alicuius festi celebritatem (3);

2. Ambitus templi, ad pontificalia peragenda, par sit, praesertim in presbyterio, caeremoniis rite et commode explendis; ipsumque templum e dignioribus sit atque insignioribus (4);

3. Sacri ministri aliique inferiores operam praestituri, numero adsint, qui liturgiae legibus praescribitur; singuli vero suum officium probe calleant. Ac maiores quidem ministri, in pontificalibus purpurati Patris, in aliqua sint Ecclesiae dignitate constituti; minores vero saltem clerici. Praeterea celebranti Patri Cardinali iusta decensque adstet frequentia, sive saecularis sive regularis cleri (5);

4. Musices genus, in sacra actione utendum, sit ab Ecclesia probatum. Praesertim vero dum E.mus Vir Sacrum solemne peragit, praeter gregorianum, non alius recipitur cantus quam qui, solis vocibus, moris est in Pontificis Maximi et PP. Car-

dinalium choris. Cantores vero quum numero tum arte nihil desiderandum relinquant (6).

III. Sacra Congregatio Caeremonialis declarat, singularem et non communem festi alicuius celebritatem, de qua superius facta mentio est, tunc haberi quum rariora quaedam solemnia magno apparatu densâque populi frequentia celebrantur, quemadmodum in prima triduana supplicatione post beatificationem, aut dierum octo post canonizationem; itemque in saeculari aliqua commemoratione, et similibus. Quod si solemnitas indicta fuerit in triduum, extremo tantum die haberi poterunt pontificalia E.mi Viri; si in dies octo, poterunt haberi ter (7).

Si quis autem purpuratus Pater, occasione peculiaris festi, velit pontificalia exercere in ecclesia sui Tituli, aut si cupiat sacris ibidem solemniter assistere, quod quidem diaconis etiam Cardinalibus in propria ecclesia competit, ecclesiarum rectores omnia et singula disponenda curent iuxta praescripta superius (8).

IV. Ad Missam privatam in publicis Urbis ecclesiis ne invitetur PP. Cardinalium quisquam, sive ex ordine episcoporum aut presbyterorum, sive, etiam *posito privilegio,* ex ordine diaconorum, nisi ante mature fuerit perpensum, quae sit et quanta festi solemnitas, quae templi dignitas, ambitus, qualitas; sintne omnia rite parata atque disposita, ita ut purpuratus Pater, eo quo decet honore et cultu excipi, tractari deducique possit, retentis ad unguem SS. Rituum praescriptis et Caeremoniarum regulis (9).

V. Eadem plane serventur si quis Pater Cardinalis invitetur ad benedicendum populo solemniter cum Augustissimo Sacramento. In eiusmodi ritu, ad quem etiam rarius erunt invitandi purpurati Patres, illud curae esto, ut ministri sacri sint in aliqua Ecclesiae dignitate constituti; inferiores autem clerici et numero et qualitate commendabiles. Ad novendiales vero, vel triduanas supplicationes, etiamsi solemniores (exceptis casibus n. II relatis), non erunt invitandi quotidie PP. Cardinales, ac ne ultimo quidem die, nisi forte id sacrae commemorationis magnitudo splendidiorque apparatus postulet.

Ceterum ad quaevis solemnia ecclesiarum Urbis rectores ne invitent purpuratos Patres, nisi auditis prius apostolicarum caeremoniarum aut praefecto, aut magistris (10).

VI. Absolutionis ritus, post Missam de Requie ab episcopo aut presbytero celebratam, non est a Patre Cardinali ordinis episcoporum aut presbyterorum peragendus, nisi quum iusta funebria persolvantur aut Summo Pontifici, aut purpurato Patri, aut catholico Principi; vel etiam sicubi solemnior fiat commemoratio omnium fidelium defunctorum; item pro insigni aliqua communitate, vel publicum ob aliquem et lacrimabilem casum, modo omnia accurate serventur, quae supra dicta sunt, de templi conditione, de ministrorum dignitate, peritia et numero, deque genere cantus (11).

VII. Haud par est invitari episcopos ad pontificalia sive Missae sive Vesperarum, ubi nulla aequa suppetat ratio verae solemnitatis, aut ubi non ante fuerit cautum diligenter, ne forte pera-

gendis iis ritibus vel angustia loci obstet, vel inservientium conditio vel impar numerus. Quapropter S. Congregatio monet omnes et singulos ecclesiarum Urbis rectores, ut, ad episcopalis dignitatis tutelam, quae circa templi decus et amplitudinem, quae circa solemniorem festi rationem, sacrorum ministrorum aliorumque inservientium qualitatem et numerum superius praescripta sunt, ea convenienter aptent iis casibus, in quibus invitare episcopum cupiant, sive ad sacra illa solemnia, sive etiam ad Missae privatae celebrationem, aut ad benedicendum populo cum Augustissimo Sacramento, aut ad huiusmodi alia (12).

Quae omnia a S. Congregatione Caeremoniali statuta et approbata in comitiis habitis in Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Maii an. MCMII, et per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Congregationi Caeremoniali Praefectum relata ad SS.mum D. N. Leonem XIII Pont. Max., Sanctitas Sua rata habuit et confirmavit, die XXX eiusdem mensis et anni.

ALOISIUS Card. OREGLIA A S. STEPHANO
S. Congr. Caerem. Praefectus.

L. ✠ S.

LUDOVICUS GRABINSKI
Secretarius.

ADNOTATIONES

in relatum S. Cong.nis Caeremonialis Decretum.

(1) Libentissime hoc S. Cong. Caeremonialis decretum in nostris Ephemeridibus inserimus, non tantum quia de re liturgica agit, sed maxime quia valde erat opportunum,

imo et necessarium supremam Auctoritatem contra plurimos irreptos abusos insurgere.

Illud missum est: *Rectoribus ecclesiarum Urbis*, ut qua par est solemnitate et pompa sacrae peragantur functiones, quando invitatur aliquis S. R. E. Cardinalis. Compertum est enim, quod saepe saepius, ex nimia E.morum Patrum comitate, qua invitamenta excipiunt, quibusdam in ecclesiolis neque sufficienti numero, neque spectabili qualitate ministrorum instructis, ipsi non excoluntur prout eorum excelsa dignitas exigit. Hinc opportunae regulae a rectoribus ecclesiarum in casu observandae traduntur.

(2) Ex alio parili S. Cong. Caeremoniali Decreto, haec, ad rem, referimus:

" Dignitatis eminentia, qua S. R. E. Patres Cardinales, Pontificis Maximi Consiliarii Eiusdemque Senatus augustus, in Ecclesia praefulgent, plane postulat ut alta de ipsis opinio penes christianorum populum vigeat. Quare mirum non est si eorum decori tuendo multa fuerint lege cauta et constituta, collatis per varia tempora amplissimo illi Ordini iuribus, privilegiis, honoribus, quum in ceteris, tum praesertim in iis quae ad sacros ritus splendidius per ipsos celebrandos pertinerent. Quia vero nostra maxime tempora postulare videntur ut sedulo caveatur, ne tanta maiestas quidquam detrimenti capiat et quotidiano ministerii usu vilescat, S. Congregatio Caeremonialis opportunum duxit certas in rem normas proponere, easque significatas altero Decreto ecclesiarum Urbis rectoribus, purpuratis etiam Patribus exhibere. "

(3) Et sane; nulla enim Confraternitas, nulla, maxime monialium, pia sodalitas habetur, quae in celebratione suarum festivitatum, aliquem ex Purpuratis Patribus officiantem habere non cupiat. Hinc ad retrahendam personalem comitatem humilitatemque Cardinalium, ne huiusmodi invitamentis facile annuant, hic praescribitur, quod festi celebritas communis et parvi momenti non sit.

(4) Non tantum hic loquitur Decretum de ambitu templi et maxime de amplitudine presbyterii, ut caeremoniae suo splendore expandi et perfici possint, sed aperte praescribit ut templum sit ex *dignioribus* et *insignioribus*. *Dignius:* quod memoriis sacris, frequentia cleri, sanctorum corporibus inter alia praevalet; *insignius:* quod ob molis amplitudinem, artis magnificentiam, ab omnibus excellens existimatur. In oratoriis ergo et ecclesiolis, et in aliis ecclesiis neque *dignioribus* neque *insignoribus*, invitare Cardinales nec decet, nec amplius licet.

(5) Quoties vidimus Patrem purpuratum, benedictionem cum SS. Sacramento impertientem, duobus ministris, dalmatica et tunicella indutis, et alio qui Ostensorium deponat tantum circumdatum, ministrantibus librum, palmatorium, thuribulum, et syrmam sustentantibus, paucis puerulis aliqua veste ad modum clericalem indutis! Itaque, uti dicitur in alio parili Decreto: "Pater Cardinalis invitatus extra proprium titulum ne annuat, nisi audito, quo ipse utitur, apostolicarum caeremoniarum magistro, „ qui certior fieri debet de servitio tam ministrorum quam clericorum etc.

Sacerdotibus, et etiam laicis peregrinis Romam convenientibus, magnae est admirationis, quum adspiciunt Patres Cardinales functiones sacras peragentes, et non semper sibi habere inservientes, veros clericos, v. gr. ex Seminariis, quae tot in Urbe habentur. Soliti Episcopos videre in eorum civitate, qui nullam agunt sacram functionem, etsi minoris momenti, quin alumni Seminarii ipsis ministrent, persuadere sibi nesciunt cur non idem *semper* praestare poterint Seminariorum Urbis clerici. Vere quidem studiis ipsi vacare debent ac pietatis exercitiis in propriis cappellis incumbere solent; sed ad *cultum divinum* quoque exercendum ipsi instituuntur, hinc decet omnino ut, etiam in alienis ecclesiis, adhibeantur, praesertim cum Eminentissimi DD. Cardinales

sacra peragunt. Est sane huiusmodi alumnorum summum decus, et quasi praemium, coram Deo ministrare, quando purpurati Patres solemnia persolvunt. Sed cum necesse quoque sit non nimium eos per ecclesias vagare, hac praesentis Decreti limitatione optime praecavetur. Nemo certe sanae mentis diceret Seminariorum alumnos officium eiusmodi declinare, quasi in dedecus aut gravamen iis cederet. Romae enim Summo Pontifici ministrant Episcopi ac Praelati: in patriarchalibus Urbis sunt et *Beneficiati*, licet Sacerdotes, qui Canonicis, imo et suis sociis inserviunt, nonne idem libenter praestabunt alumni Seminariorum Patribus Cardinalibus, qui, ut dicitur in iure: *Sunt coadiutores Domini Papae, intimi eius consiliarii, et eius senatum constituunt?* Quando tamen Seminariorum alumni haberi nequeunt, saltem alios Clericos praesto esse fas erit.

Quod hic dicimus de minoribus clericis ministrantibus, multo magis dici et debet de ministris maioribus. Invitentur ergos, si in ecclesia non habeantur Canonici residentiales, alii Sacerdotes in dignitate constituti, praelati nempe, ut in hoc § *praecipitur*. Si autem in ecclesia non sit coetus Canonicorum, sed sodalitas aliqua monachorum vel religiosorum, tunc praelatos seu digniores ex illis convenit E.mo adsistentiam praebere. Postremum huius numeri comma, maximi faciendum quoque est, ac proinde nisi habeatur Clerus de gremio, vocetur adventitius.

(6) Multum interest, quod de *musices genere* utendo in functionibus a Cardinalibus persolvendis hic praescribitur. Iam alias *(D. 7 Octobris 1738)*, uti habet Ephemeris *Rassegna Gregoriana*, n. 8 et 9, S. Cong. Caeremonialis de eodem argumento egerat et tunc decreverat, quod in *Cappellis Cardinalitiis* sicut in *Pontificiis*, concentus musicus adhiberetur tantum vocalis, et nullo comitante instrumento. Nunc S. Congregatio hoc Decretum extendit ad *praecipuas functiones* quae ab uno ex Patribus purpuratis *ritu pontificali* celebrantur. In hoc enim

§ sermo est de *Vesperis* et *Missis*, atque dicitur: *praesertim dum E.mus Vir* " Sacrum solemne " *peragit*: ergo cum Missam legit, cum Vesperis aut Missae ab alio celebratis assistit, cum benedictionem cum SS. Sacramento impertitur, musica quoque, organo etiam comitante adhiberi adhuc potest. Attamen pro his etiam functionibus decretum opportunam et generalem praescriptionem habet: *Musices genus.... sit ab ecclesia probatum.* Videant nunc musices magistri, an quaedam eorum *Missae* vel aliqui *Psalmi* propter prolixitatem, et verborum nimiam repetitionem, et musicalium nimis strepentium instrumentorum comitatum, adhuc concini valeant!

De musices genere in *solemnibus ab E.mo celebrandis* perpulchra specialis praescriptio habetur, qua s. functionis decori aptissime providetur. Et primo in hoc § probatur *Cantus gregorianus*, cui soli recte competit nomen *cantus ecclesiastici* et *liturgici*, utpote qui est Ecclesiae et liturgiae proprius.

Praeter illum vero non aliud recipi debet generis cantus, quam poliphonicum *solis vocibus* depromptum secundum morem pontificiae Cappellae. Hoc modo e medio aufertur periculum ne musices genus forsan sit minus ecclesiae dignum, et magistris atque cantoribus praebebitur modus mirificas compositiones classicae poliphoniae, nimis obliteratas, rursus et frequentius exequendi.

Per hoc autem non omnino prohibetur organorum sonus, cum quam maxime deceat ut sublimes modulationes gregorianas, organa, uti recta scientia docet, comitentur; hoc non erit improbandum. Similiter, cum hic dicitur, *non alium* praeter illum *recipi cantum, quam qui solis vocibus* . . . non reprobatur sonus organorum, cum Eminentissimus Cardinalis ecclesiam ingreditur, et etiam aliis temporibus, ritu permittente, ut habetur in Caeremoniali Episcoporum. Quid autem sibi vult dictio *praesertim?* Quod *semper* praecipitur in functionibus pontificalibus ab E.mo Viro celebratis, prae-

fatus cantus, *praecipue* vero, ex magis *rigoroso* scilicet *praecepto*, in *Missis* pontificalibus, ab eodem celebratis.

Videtur enim non effugisse S. Congr. Caeremonialis difficultatem educendi, saltem statim, in praxim hanc praescriptionem pro *Vesperis:* quapropter magis ei placuit insistere in rigoroso praecepto pro *Missis* tantum.

Optandum autem est ut omnes ecclesiae rectores et musices cultores recte intelligant naturam et finem *Vesperarum*, et legant in *Caeremoniali Episcoporum* quomodo Ecclesia iubeat Vesperas ordinari. Tunc eis praescriptio hodierna Sacrae Congr. Caeremonialis omnino apparebit opportunissima.

(7) Hoc in § ponitur exemplum pro indicandis gradu et solemnitate festivitatis, ad quam invitari potest Pater Cardinalis. Tridui nempe post beatificationem et octiduum post canonizationem, vel alicuius commemorationis saecularis, aut etiam alterius similis solemnis occasionis.

Per hunc articulum non censentur interdictae illae cum SS. Sacramento benedictiones, quae a Cardinalibus impertiri solent quotidie in novendialibus Immaculatae Deiparae Conceptionis in ecclesia SS. duodecim Apostolorum, et S. Philippi Nerii in ecclesia S. Mariae *in Vallicella*, nec non in octiduo Epiphaniae in ecclesia S. Andreae a Valle. Compertum est enim qua eximia solemnitate Romanus populus huiusmodi sacras functiones frequentatur. Earum ergo celebritas, bene respondet dignitati cardinalitiae.

(8) Pro solemniis persolvendis in unoquoque Titulo, aut Diaconia, hic nil aliud dicitur, quod rectores digne omnia disponant, iuxta praescriptam solemnitatem; cum Tituli et Diaconiae iam ex natura sua ius habent ut inibi aliquando Cardinalis sacra exerceat.

(9) Pro Missa quoque tantum lecta in ecclesiis Urbis *publicis*, requiritur: 1° Festi solemnitas, 2° Templi dignitas, 3° eiusdem amplitudo, et bene. In oratoriis ergo *privatis*, et semipublicis, seu interioribus apud aliquod pium Institutum,

adhuc potest Pater Cardinalis Missam celebrare, licet dignitas et amplitudo loci non semper habeatur. Cum enim privata et semipublica oratoria non pateant, semper saltem, cunctis ingredi volentibus, aut invitatis permultis, non opponitur S. Cong.nis Decretis et menti, quod E.mus in iis simpliciori accedat apparatu. Credimus tamen, quod, si invitatio fiat ob *festi solemnitatem*, tunc, quatenus liber habeatur populi accessus, aut multa invitatorum frequentia, deficere non debeant, sicut et numerus clericorum ministrantium, ita et aliae conditiones.

In hoc § dicitur etiam *eo quo decet honore et cultu excipi, tractari, deducique* debere purpuratus Pater; et bene. Oportet enim, quando Vir Eminentissimus ad aliquam ecclesiam accedit, licet ritu privato, ut is a dignioribus ecclesiae, praeeunte superiore, comiter excipiatur, et inde deducatur. Aliquibus enim in ecclesiis, unus vix sacerdos, vel aliquis confraternitatis sodalis interdum occurrere visus est, haud certe laudabiliter.

(10) Opportunissime concluditur § iste, audiendi nempe erunt semper apostolicarum caeremoniarum magistri, antequam aliquis Cardinalis a rectoribus ecclesiarum invitetur. Tunc enim, et rector invitans, et Cardinalis annuens, in tuto erunt, quod hoc S. C. Caeremonialis Decretum plane adimplebitur, cum maximo aemolumento et summo splendore amplissimi Cardinalium Coetus et sacrarum functionum. Sic etiam, ut habetur in alio parili, praecavebitur: *ne aliis in ritibus caeremoniisve sacris, praeter memorata, studio etiam novitatis aliquid inducatur purpuratorum Patrum dignitati minus conveniens, quod aliquando accidisse constat.*

(11) Bene hic revocatur ritus absolutionis post Missam emortualem, ad funebria tantum solemnissima, in quibus decet quod Cardinalis ultimam benedictionem persolvat.

Adverte tamen, hanc absolutionem dandam esse a Cardinali tantummodo ex ordine episcopali aut presbyterali;

Diaconi enim huiusmodi publicas functiones numquam peragunt, eo quod facultatem a Summo Pontifice aliquando recipiunt quasdam *determinatas* functiones peragendi, quae ex more: sunt privatae Missae celebratio, et Benedictionis cum SS.mo Sacramento impertitio, semper tamen extra propriam Diaconiam. Item oportet ut funebria celebrentur pro persona *superiori* vel *aequali;* nempe pro Pontifice, pro Rege catholico, vel pro alio Cardinali. Quando haec solemnia parentalia celebrantur *praesente corpore,* tunc res omnino regitur a consuetis legibus, quae in Cappella pontificia sunt propriae, de quibus hic non agitur. Quando vero agantur funera *corpore non praesente,* uti in diebus VII, aut XXX, etc., tunc locum habent dispositiones huius paragraphi.

Adverte tandem, quod si funera agantur de aliqua determinata persona, haec ut diximus, superior debet esse, aut aequalis, in dignitate Cardinali absolventi; si vero agatur de funeribus solemnibus, in Decreto enumeratis, non pro una tantum persona, sed pro omnibus fidelibus defunctis vel communitate aliqua, tunc item Cardinalis absolutionem praebere valet ad tumulum, dummodo observentur quae in hoc § praecipiuntur.

In Patrum Cardinalium funebriis celebrandis, antiquus mos nunc non amplius servatur, a Rituali Romano commendatus, decantandi scilicet defunctorum officium, statim ac feretrum in medio Ecclesiae depositum sit, quod, ob specialia temporum nostrorum adiuncta, a Summo Pontifice, prout hodie celebrantur, exequiae ordinantur verum in aliis funebriis, maxime *praesente corpore,* utinam hic mos praxi revocaretur.

(12) Ultimo hoc loco, agitur etiam de functionibus peragendis ab episcopis in Urbe degentibus. Numquam satis erit hic § commendandus; compertum est enim quo honore sancta mater Ecclesia umquam prosecuta sit eos, qui charactere episcopali praefulgent. Ii sunt Apostolorum succes-

sores, ii sunt qui plenitudinem habent sacerdotii; numquam ergo permitti potest, ut episcopis celebrantibus, ea solemnitate ritus peragantur, quae dignitati episcopali non respondeat.

Hinc comprobare non possumus nimiam facilitatem qua invitantur episcopi ut pontificalia agant in aliquibus ecclesiis, in quibus ritus sacri, qua par est gravitate, expleri nequeunt.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IX.

DE DOMINICA SS.MAE TRINITATIS

(Decr. 2632 ad 1).

Benedictus adhuc Diaconus, Romae degens, gravem apud Iulium Presbyterum quaestionem instituit super natura Dominicae SS. Trinitatis, ab aliis omnibus satis diversae. Etenim, si Breviarium Romanum inspicit, tenere cogitur, eam ad illas pertinere Dominicas, quae primae classis sunt, uti Pascha, in Albis, Pentecostes etc. At si eam in seipsa considerat, fateri illi necesse est, nullo fere eam privilegio gaudere. Etenim Dominica ista I. classis anno insequenti 1902 concurrit in secundis Vesperis cum S. Philippo Nerio, qui in Urbe sub ritu duplici II classis colitur. Verum, cum Benedictus

plura legisset Calendaria Urbis pro anno 1902 peracta, in nullo eorum Dominicam SS. Trinitatis esse commemorandam notatum reperit, immo contrarium legit. Iamvero commemoratio Dominicae minoris, ipse ait, iure omittenda est in concursu duplicis II classis, ad huius primas Vesperas; sed indubie facienda est, quando de Dominica maiori agitur, uti est Dominica SS. Trinitatis. Hinc solutionem difficultatis sciscitatur a praefato Presbytero, quo tamen illi solvendae imparem se confitente, uterque convenientes, ad alterum sibi notum scribunt e Caeremoniarum Apostolicarum magistris, *postulantes*:

1. *Quomodo Dominicae, vi Rubricarum, distinguantur, quaenam singularum privilegia sint propria, quaenam specialis origo et causa Dominicae SS. Trinitatis, et num aliquo et quo privilegio fruatur?*

2. *Quid iudicandum peculiariter de commemoratione huiusce Dominicae concurrente cum sequenti duplici II classis, seu, iure ne omittenda, iuxta Decretum citatum, an agenda?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. SAMUELIS MICOLI, **Pontif. Seminarii Vaticani alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 4 Iunii 1902, acta epitome per R.mum Dom.** ALOISIUM ORESTEM **Can.** BORGIA.

1. Quomodo Dominicae, vi Rubricarum, distinguantur, quaenam singularum privilegia sint propria, quaenam specialis origo et causa Dominicae SS. Trinitatis, et num aliquo et quo privilegio fruatur?

a) Unaquaeque ex quinquaginta tribus Dominicis, quibus constat annus ecclesiasticus, proprio antiquitus distinguebatur nomine ab *Introitu* Missae occurrentis derivato, at hodie hic mos tantum viget vix pro aliqua ex iis, ut notum est. A saeculo autem XVI introducta est in Rubricis distinctio inter Dominicas maiores et minores, iuxta maiorem aut minorem mysteriorum in iis commemoratis considerationem. Illae insuper subdistinctae fuere in Dominicas I classis et II classis; octo numerantur Dominicae I classis et sunt: prima Adventus, prima Quadragesimae, Dominica Passionis, Dominica Palmarum, Dominica Resurrectionis, Dominica *in Albis*, Dominica Pentecostes et Dominica SS.mae Trinitatis; novem sunt Dominicae II classis: secunda, tertia et quarta Adventus, Dominicae in Septuagesima, in Sexagesima et in Quinquagesima, secunda, tertia et quarta in Quadragesima. Aliae triginta sex sunt minores, ex quibus octo ad cyclum pertinent temporis natalitii, quinque ad cyclum paschalem, et tres et viginti ad cyclum Pentecostes.

b) Officium dominicale, eo quod Dominica est Festum Domini, Ecclesia semper magna veneratione prosequuta est, unde duplici ornatum fuit privilegio, quod nempe nunquam ad alium diem transferatur, et nunquam ex toto omittatur. Idcirco Dominicae I classis ita privilegiatae sunt, ut quocumque Festo occurrente, etiam I classis, suo semper praevaleant officio; hinc Tabella Rubricarum, in occursu Festi duplicis I classis cum Dominica item I classis notat: *translatio de primo, officium de secundo.* Dominicae maiores II classis privilegio quoque fruuntur officii, occurrente Festo ritus duplicis II classis, et locum cedunt tantummodo Festo ritus duplicis I classis. Verum hoc ultimo in casu, notat Rubrica, quod fiat officium de festo, sed cum commemoratione Dominicae in utrisque Vesperis et in Laudibus, atque dicatur nona Lectio de Homilia in Evangelium Dominicae.

Aliae Dominicae, quamvis Festis ritus duplicis, etiam minoris, dent locum, gaudent tamen commemoratione in utrisque Vesperis et in Laudibus, ac nona Lectione Homiliae in proprium Evangelium.

In concurrentia autem officii cum duplici quocumque, Dominicae maiores tam I quam II classis semper commemoratione gaudent in secundis Vesperis, dum Dominicae minores nulla gaudent commemoratione in concursu cum Festo ritus duplicis primae aut secundae classis.

c) Inter Dominicas I classis invenimus in Rubricis notatam Dominicam SS.mae Trinitatis. De origine et causa huius Festi, disserit cl.mus Cavalerius: " Diei Sabbati, quae in lege veteri ad Deum propter se colendum, fuerat delecta, in lege nova dominica dies successit, quae specialiter censetur dicata in honorem SS. Trinitatis, ad profitendam scilicet fidem Dei trini et unius, et ad Deum trinum et unum expressius colendum, quemadmodum expressius in lege gratiae ipse cognoscitur, prout in se est trinus et unus *(T. II, c. XVII)*. " Idem auctor alibi *(C. XIV)* dixerat, se ab aliis didicisse auctoribus, olim ob dictam rationem consuevisse *Praefationem SS.mae Trinitatis* recitari singulis Dominicis (qui mos postmodum a Clemente Pp. restitutus fuit), et eisdem diebus praecipi Symbolum Apostolorum in Missis, quemadmodum Symbolum Athanasianum in officio dominicali, et interdum, pariter in dominicali officio, etiam octavum Responsorium SS.mae Trinitatis *Duo Seraphim* etc.

Sarnellius ad quaestionem, quanam ratione celebret Ecclesia Festum aeterni Patris, respondet: nullum ipsam constituisse diem ad peculiariter illum colendum, ut non videretur semel tantum in anno de eo memoriam proposuisse, dum potius singulis diebus, et unoquoque eorum momento, nos habere cupit memoriam illius quem passim in omnibus officiis invocamus dulcissimo nomine Patris. Subdit autem cum Durando (Rationale Divinor. Officior.; *lib. 6, cap. 114,*

n. 1), existimasse antiquos, Festum aeterni Patris die Dominicae Nativitatis celebrari, et re ipsa incipit Missa mediae noctis: " Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te „, atque ita tria principaliora festa per annum ad SS.mam Trinitatem colendam, iuxta Personarum distinctionem, instituta fuisse: Nativitatis D. N. Iesu Christi ad Patrem honorandum, Paschatis Resurrectionis, ad Filium venerandum; Pentecostes ad colendum Spiritum Sanctum.

Quod respicit Festum SS.mae Trinitatis, Auctor *Ligni vitae* vult a Gregorio XI institutum fuisse anno 1370, dum Pisanellus (*Art.* Feria, *cap. 3*) institutorem illius facit Ioannem XXII. Refert Durandus, Alcuinum officium composuisse SS.mae Trinitatis et Alexandro Papae obtulisse, qui respondit: " Non est celebrandum Festum de Trinitate sicut nec de Unitate. Nam singulis diebus fit festum Trinitatis et Unitatis, quia semper dicitur: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. „ Quamquam in huius textus citatione anachronismus appareat, eo quod Alcuinus anno circiter 735 ortum habuit, et Alexander II Summus Pontifex est renuntiatus anno 1062, tamen manifestum est, saeculi XI initio, Romae non adhuc celebratum fuisse Festum SS.mae Trinitatis. Idem et in Micrologo ostenditur, qui Ivoni Carnutensi tribuitur. Legimus in historia Ioannis XXII, Alexandrum II, uti probat Lambertinius (in libro *De Festis cap. 12*), non autem Alexandrum III, uti nonnulli scripserunt, in Decretali *Quoniam, de Feriis*, dixisse, Festum SS.mae Trinitatis consuevisse alios celebrare in octava Pentecostes, alios in Dominica prima Adventus. Ecclesiam Romanam vero, nullo unquam consuevisse tempore hoc Festum celebrare, eo quod dicit quotidie *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*, cum aliis similibus laudibus ad Trinitatem directis. Insuper legitur eadem in historia, Ioannem XXII, mandasse Festum Sanctissimae Trinitatis solemniter celebrari in Dominica post Pentecosten dum Ro-

mana Ecclesia non consuevit eousque idem Festum colere peculiari officio, determinata die. Idem confirmant Ptolomaeus a Luca (in Vita Ioannnis XXII), Balutius (Vit. Papae Avenion. *T. I, pag. 177*), Lambertini (*De Festis, § 630, pag. 210*). L'Advocat (*Dizionario portatile, Art.*, Pietro d'Ailli) ait, hunc Cardinalem Genuae praedicasse, anno 1405, tanta vi, de mysterio SS. Trinitatis, ut Antipapa Benedictus XIII illa oratione motus illius Festum instituerit. Certum est tamen, usum iam pluribus in Ecclesiis existentem, extendisse Ioannem XXII ad universam Ecclesiam, uti testantur Martène (*De antiqua Eccles. discipl. cap. 28*), Thomassinus (*De Dierum Festor. celebrat., cap. 18, lib. 2, n. 131*), Baillet (*De festo Trinitatis, part. I, n. 4*), Ciacconius (*Vita Ioannis XXII*), Meratus (in notis ad Gavantum, *T. I, part. 2*), Pagi (*Vita Ioannis XXII, n. 86*) cum aliis, quos citat Lambertini.

Officium, quod nunc recitatur in Breviario Venetiis edito, anno 1440, vocatur antiquum, et creditur idem illud fuisse quod S. Stephanus composuit, ut refert Durandus (*Lib. 6, c. 114*). Gavantus testatur, se legisse officium a Ioanne Pechano Archiepiscopo Cantuariensi exaratum, quod anno circiter 1200, vivente adhuc Archiepiscopo, in usu fuit, sed postmodum abrogatum ob perdifficilem stylum, quo conscriptum erat. Insuper Ioachim Ildebrandus ait, Festum SS.mae Trinitatis solemne semper fuisse in Ecclesia, eo quod veluti octava Pentecostes reputabatur: sed prout speciale Festum cultui SS.mae Trinitatis dicatum, non est antiquius saec. IX.

Rationes autem, cur in octava Pentecostes potius quam alia die Festum SS.mae Trinitatis assignatum fuit, a pluribus adducuntur auctoribus. Durandus declarat: post celebratum Festum Patris in Natali Domini, *quia Nativitas dicitur festivitas Patris;* post celebratum Festum Filii in Paschate, et Festum Spiritus Sancti in eius missione; merito in octava Pentecostes fit Festum SS.mae Trinitatis, ad ostendendum dictas

tres Personas unum esse Deum. Et haec est prima ratio. Secunda est quia post Festum Spiritus Sancti scilicet post suum in Coenaculum descensum, illico coeptum est praedicari et credi mysterium SS.mae Trinitatis, in cuius nomine conferebatur baptisma fidelibus ad Christum conversis; et hanc rationem reddit Rupertus Abbas. Tertia, quia Ecclesia ostendit suis filiis illum Deum Trinum et Unum a quo bona cuncta procedunt, cuius referunt imaginem, et cuius habere debent similitudinem, quem semper laudare debent, benedicere et celebrare. Idcirco *Introitus* Missae eiusdem Festi incipit: " Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas: confitebimur ei quia fecit nobiscum misericordiam suam. „ Huiusmodi rationibus Thomasinus addit, ut omnes agnoscant, Trinitatem finem et complementum esse omnium Festorum et Mysteriorum. Cavalerius tandem ait institutum fuisse hoc Festum ad novum officium supprimendum octavae Pentecostes, aliquibus locis introductum, et Dominicam implendam, a tempore vacantem, absque videlicet officio manentem; quae opinio, ut videbimus, super falso innititur supposito, namque Dominica illa nequiret unquam vacans vocari.

d) Citatus Sarnellius (*Tom. 4, Epist. 24*) hanc pertractat quaestionem: cur Dominica SS.mae Trinitatis collocetur inter Dominicas I classis, et Festum inter duplicia II classis? Et respondet: Si Festum SS.mae Trinitatis tamquam Festum I classis institutum fuisset, necessarium extitisset Dominicam I post Pentecosten supprimere, nullum quippe Festum Domini I classis commemorationem habet Dominicae, sicuti Pascha et Pentecostes; et suppressa I Dominica post Pentecosten, ordo et titulus aliarum Dominicarum debuissent immutari, ac illas Dominicas potius post Trinitatem nuncupari. Ita auctus fuisset numerus Dominicarum, quae non excedunt numerum 28. Conveniens ergo fuit Festum SS.mae Trinitatis instituere sub ritu duplici II classis, qui magis congruit cum Dominica I post Pentecosten, quamvis duplex II classis sit de

maioribus; ideoque de aliquo Sancto ritus simplicis tali die occurrente, fiat tantum commemoratio in Laudibus et in Missis privatis. Atque insuper, ut, occurrente eodem die aliquo Festo dupl. I class., non deberet Festum amandari SS. Trinitatis, Dominica posita fuit inter illas, quae sunt I classis, utpote quae nunquam sic omittenda foret. Unde prima Dominica post Pentecosten, ut sic, eiusdem conditionis est ac Dominicae sequentes, eo quod non intelligitur de ea Rubrica Dominicae I classis, sed de Dominica prout Dominica Trinitatis. Id porro satis explicat cur totum officium fit de Trinitate, dum de Dominica sola fit commemoratio. Hinc tota ratione explicatur quod ait cl.mus Gardellinius: " ad nihilum valere admirationem illorum, qui non sine aperto murmure et moerore aegre sustinent Festum Festorum, et Mysterium mysteriorum fontem, Sancto Confessori postponi „: et sapienter Ecclesia instituens Festum SS.mae Trinitatis eam inter duplicia II classis posuisse. Re vera, is inquit, duplex I classis cum octava convenit Festis maioribus et principalioribus, quod asseri nequit de Festo SS.mae Trinitatis: namque illud potius appellare debemus commemorationem, quam Festum principale et solemne.

Alexander II in Decretali *Quoniam, Tit. de Feriis*, admittit, sane, hoc festum, iuxta regionum diversitatem celebrari post Pentecosten, die Dominico; sed addit, non ita fieri in Ecclesia Romana, eo quod quotidie dicitur *Gloria Patri, etc.*, et aliae similes laudes. Cum ergo unusquisque dies dedicatus sit SS.mae Trinitati, ac praecipue Dominica, ut patet ex conclusione cunctarum Orationum, Psalmorum et Hymnorum; et cum officium dominicale dedicatum sit, quasi ex professo, in honorem huius augustissimi mysterii, tuto affirmare licet, totum annum esse perpetuum Festum SS.mae Trinitatis. Unde conveniens nullatenus existimatum fuit, specialem diem determinare ad celebrius hoc mysferium recolendum. Attamen, sequitur Gardellinius, congruum non

erat omitti omnino specialem memoriam praecipui mysterii nostrae Religionis, saltem pro idiotis, qui parum vel nihil intelligunt de regulis in S. Liturgia servandis, dum magis gaudent exteriori solemnitate. Hinc Ecclesia sapienti sane consilio, utrumque conciliavit, et Ioanne XXII Summo Pontifice, usum iam incoeptum et pluribus in Ecclesiis iam vigentem continuans, statuit ad hunc finem Dominicam I post Pentecosten, quin intenderet novum Festum peculiare instituere, sed commemorationem solemnem statuere, epilogum scilicet, omnium mysteriorum, quae a I Dominica Adventus usque ad illud tempus recoluntur, et in gratiarum actiones singularium beneficiorum acceptorum, praesertim ob magnum Redemptionis opus, et ob adventum Spiritus Sancti. Cum igitur vere celebretur uti Festum peculiare, congruum non est visum illud inter duplicia I cl. collocare. At ob excellentiam et sublimitatem mysterii aequiparandum nec erat Festis inferioribus Sanctorum, quae ritu duplici inferiori celebrantur; ideoque sub ritu duplici II classis institutum fuit, ac singulari praeditum privilegio, ut quodcumque aliud maioris solemnitatis, quod eadem die occurreret excluderet.

II. Quid iudicandum peculiariter de commemoratione huiusce Dominicae concurrente cum sequenti duplici II classis, seu, iure, ne omittenda, iuxta Decretum citatum, an agenda?

Quaesitum fuit apud S. Rituum Congregationem: " An in secundis Vesperis Dominicae SS.mae Trinitatis concurrentibus cum Festo I vel II classis, fieri debeat commemoratio de Dominica? „ Et responsum, die 27 Martii 1824: *Negative.* In adnotationibus ad hoc Decretum cl.mus Gardellinius refert eumdem casum Festi S. Philippi, duplicis II classis, quod anno 1823 incidebat, prout et hoc anno, feria II post Dominicam SS.mae Trinitatis, et quaerit: " Num in secundis Vesperis praefati Festi SS.mae Trinitatis praeter illam de sequenti, hoc est de S. Philippo, fieri etiam deberet commemoratio

Dominicae?„ Et respondet: " Ut huiusmodi enodetur quaestio, statuendum est quam in classem ponenda sit Dominica prima post Pentecosten simpliciter considerata, ac si adnexum non haberet Festum SS.mae Trinitatis. Scriptores de rebus liturgicis hanc praetereunt controversiam: et vix unus est Gavantus qui in nihilo differre docet hanc Dominicam, seorsim ab adnexa festivitate consideratam, ab aliis quae sequuntur usque ad Adventum: Haec Dominica, dicit, prima post Pentecosten, ut sic, est eiusdem rationis cum Dominicis sequentibus, non enim de ea intelligitur Rubrica sub titulo Dominicarum I classis, quae nunquam omittuntur, nempe Dominica Trinitatis: ut patet, quia de illis fit totum Officium, de hoc vero commemoratio tantum, et ipsa commemoratio omittitur in iis Vesperis, si feria secunda celebretur Officium II classis vel I. Et occurrens obiecto quod forte alicui magni ponderis videri poterat, ex eo deducto, quod huiusmodi Dominica notatur in Tabella Breviariis praemissa inter Dominicas, quae numquam omittuntur: ita prosequitur: Neque mireris, quod Festum Trinitatis nunc dicatur Festum, nunc Dominica; nam utrumque verum est, et ratione Dominicae, in qua semper occurrit, habet hoc, quod numquam omittitur Officium de Trinitate, licet eo die occurrat alicubi I classis Festum; ratione vero Festi, habet ea tantum, quae sunt propria Festorum II classis (Ad Rubricas Breviarii, sect. 6, cap. 19, num. 2). — Igitur iuxta Gavantum Dominica prima post Pentecosten in ratione Dominicae minime differt ab aliis post Pentecosten et post Epiphaniam. Et hoc bene est; nam haec Dominica aliam habere nequit qualitatem, praeter illam quae communis est supraindicatis, neque ullo pacto confundi debet cum aliis, quae qualitatem habent I vel II classis, quoad privilegium exclusivum, licet ritus sint semiduplícis. Non titulus, non ratio occurrit, ob quam privilegiatis queat adnumerari. Praecedens Sabbatum dat complementum celebrationi Officiorum

de divinis Mysteriis relate ad Passionem et Resurrectionem Christi Domini et Adventus Spiritus Paracliti; ideo eo in Sabbato, celebrata Missa, finem habet tempus Paschale. Igitur Dominica, quae immediate sequitur, neque est, neque haberi potest, ut Octava Pentecostes; nam si talis esset reputanda, comparanda quodammodo foret Dominicae in Albis, quae gaudet ritu duplici; contra vero haec Dominica, quae immediate sequitur, iam absoluta Pentecostes hebdomada, non habet, nisi ritum semiduplicem. Et revera Missa, quae legenda esset in hac Dominica, nisi Officium occurreret Sanctissimae Trinitatis, nullam habet relationem ad Octavam Pentecostes; et ideo non omittitur in Missarum Codice, quia legebatur, priusquam Festum SS.mae Trinitatis ad universam Ecclesiam praeceptive extenderetur. Quod vero est sub ritu semiduplici patet, quia habet secundam Orationem *A cunctis*, tertiam *ad libitum;* contra vero si haberet qualitatem Octavae Pentecostes, haberet etiam ritum duplicem et unicam Orationem, ut illa est Dominicae in Albis.

" Neque obiicias Dominicas Adventus et Quadragesimae qualitatem habere dupl. I vel II class. quoad privilegium exclusivum, et nihilominus non esse, nisi ritus semidupl. veluti illa est, quae primum post Pentecosten occurrit: nam ex hoc non consequitur hanc eodem privilegio gaudere. Hoc ille decorantur, quia ex Ecclesiae institutione peculiaria includunt Mysteria et populum Christianum spirituali quodam apparatu disponunt ad celebrandas solemniores Festivitates, in quibus memoria recolitur Nativitatis, Manifestationis, Passionis, Mortis et Resurrectionis D. N. I. C. Quae vero sequuntur Dominicae post Epiphaniam et Pentecosten nihil habent, quod non omnibus et singulis aeque conveniat; neque ulla est, quae aliqua distinguatur praerogativa.

" Ad harum classem referenda certe est prima post Pentecosten; ideoque, si privilegio gaudet quodlibet excludendi officium cuiuscumque ritus, eo gaudet non ratione Domi-

nicae, sed ob adedxam festivitatem SS.mae Trinitatis, quae licet sit II class., numquam omittitur, etiamsi occurrat Festum primae classis, quod Rubrica transferendum iubet. Uniuntur quidem Festum Trinitatis et Dominica prima post Pentecosten; sed non confunduntur: unicuique tribuendum est, quod illi convenit: Festum Trinitatis privilegio donatur eliminandi quodcumque duplex; Dominica vero, ut Dominica, cum sit ritus semidupl., id dumtaxat habet, quod exigit qualitas ritus.

" Quod si aliquis velit hanc Dominicam ratione sui et separatim ab adnexo Festo SS.mae Trinitatis, illis revera adnumerandam esse, quae numquam omittuntur, onus in se suscipit aliquam promendi ex iis rationibus, quae ab intrinseco dicuntur. Equidem ego diu cogitationes intendi, ut hanc adinvenirem, irrito tamen conatu. Si quae excogitari possunt, extraneae sunt, et ad id conficiendum, quod probandum est, nullatenus prosunt. Nemo est, qui neget hanc Dominicam legi in Tabella illarum, quae numquam omittuntur. Quid tamen inde? Non ut Dominica illis adnumeratur, verum notatur ratione adnexae Festivitatis, quae licet sit II cl., nihilominus I qualitatem habet, idcirco non dicitur *Dominica I post Pentecosten*, vel *Dominica in Octava Pentecosten*, ut dicitur *I Adventus*, *I Quadragesimae*: verum enunciatur *Dominica Trinitatis*. Dominicis quae numquam omittuntur, adnumerantur *Pascha* et *Pentecostes*; at nemo est, qui sibi fingat Dominicam, ut Dominica, eo privilegio gaudere, quod adnexum est solemnioribus illis Festivitatibus, ex Ecclesiae instituto, in Dominica perpetuo celebrandis. Ita etiam festiva solemnitas SS.mae Trinitatis Dominicae perpetuo affixa, notatur in Tabella duplicium secundae classis, sed iterum notanda erat inter Dominicas, quae numquam omittuntur, ratione privilegii exclusivi. Secus dicendum esset in eo stare privilegium SS. Trinitatis, quod ei cedit Dominica, quae numquam omittitur. Id autem, utpote contradictionem

involvens, absurdum est. Patet igitur privilegio decorari Festum, non Dominicam, eodem ferme modo, quo solemnitates Paschae et Pentecostes alia omnia respuunt Festa ratione sui, non relate ad Dominicas, in quibus perpetuo huiusmodi solemnitates sunt affixae.

" Verumtamen, etsi alia deessent argumenta, illud unum sufficeret ad finem quaestioni imponendum, quod haec Dominica nec decoratur statione, qua gaudent omnes aliae Dominicae, quae ob privilegium exclusivum, etsi ritu gaudeant semiduplici, Festa tamen occurrentia ritus primae vel secundae classis non admittunt: quod expresse notatum video a Panvinio (de Basil. Lateranen., lib. 2, cap. 8, ex ms. asservato in Archivio eiusdem Basilicae): " ast Stationes S. Gregorius PP... limitavit ... statuens videlicet quatuor Dominicis Adventus etc., a vigilia Pentecostes usque ad Dominicam SS.mae Trinitatis *exclusive*. „ Ex his iure concludam: si revera Dominica prima post Pentecosten Dominicis adnumeranda esset, quae privilegio exclusivo gaudent, nec color viridis adhibendus foret (quatenus de ea fieri deberet officium) sed potius rubeus, ut albus adhibetur in Dominica in Albis; neque omittenda eiusdem commemoratio in solemni Missa de Trinitate, quae cantatur in Sacello Pontificio; neque careret statione, qua nulla ex Dominicis privilegiatis fraudatur. „

His praemissis, facilis est ad quaesitum responsum: Si Dominica ratione sui non recensetur inter privilegiatas, sed tantum ut talis haberi debet ratione adnexi festi SS.mae Trinitatis, consequitur, quod, concurrens cum festo ritus duplicis I aut II classis, generalem Dominicarum regulae subesse debet, ut nempe fiat *totum de sequenti, nihil de praecedenti*. Itaque hoc anno, in concursu Dominicae Trinitatis cum festo S. Philippi Nerii, duplici II classis, iure omissa fuit commemoratio Dominicae in II Vesperis.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio, v. n. 8, p. 521)

Hanc tractationem de semiduplici impedito deserere nescimus, quin aliquid dicamus de singulari privilegio quod Rubricae, et plurima S. R. C. Decreta, illi tribuebant. En verba antiquae Rubricae: *Semiduplex occurrens in Dominicis infra illas octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus, transfertur in sequentem diem, cum commemoratione octavae; quae, si fuerit alio Festo duplici vel semiduplici impedita, praedictum Festum semiduplex veniens in Dominica transfertur post octavam; ita ut Festum semiduplex infra octavam non trasferatur, nisi in proxime sequentem diem.*

Haec Rubrica, post abrogationem translationis omissa est, et bene; amplius enim hodie non tenet. Nihilominus, cum haec dispositio circa semiduplex Festum accidentaliter impeditum, sensum et voluntatem Ecclesiae in translatione Sanctorum apprime manifestet, eam referre oportunum putamus, ut inde corollarium non parvi momenti deducamus. Ante omnia observandum venit, quod Festum semiduplex accidentaliter impeditum, transferri non poterat infra aliquam octavam, sicut duplex. Attamen vigore Rubricae huius, illud transferri poterat tantummodo in proxime sequentem diem. Id tamen fas erat infra octavas comunes, nunquam infra privilegiatas; dicit enim Rubrica: *Semiduplex occurrens in Dominicis infra illas octavas in quibus fit de Festis occurrentibus, etc.*

Igitur semiduplex occurrens in Dominica infra octavam non privilegiatam, aut etiam in Festo habente octavam (*S. R. C. 16 Febr. 1737, n. 4056 ad 2, antiquae Coll.*) transferendum erat immediate in sequentem diem non impeditam,

licet reponendum esset quodcumque officium prius translatum etiam ex solemnioribus (*S. R. C. 19 Iunii 1700, n. 3567*). Quod si dicta dies ab alio Festo impedita fuisset, tum semiduplex transferendum erat post octavam, iuxta ordinem translatorum illius anni. *Ita ut*, concludit Rubrica, *Festum semiduplex infra octavam non transferatur nisi in proxime sequentem diem.* " Ratio est, docet Gavantus, *(hoc loco)* quia amisso *iure vicinitatis ad proprium diem*, non est maior ratio cur citius celebretur. „

Quam causam melius, et cum maiori auctoritate exponit S. R. C. in Decreto *d. d. 21 Aprilis 1736, n. 4041* antiquae Collectionis, quod pro sua gravitate hic referre opus est.

" Utrum officia semiduplicia, quae occurrunt in Dominica infra octavam non privilegiatam die lunae sequentis non impedito officio novem lectionum fieri debeant, in exclusione duplicis praecedentis transferendi? Et S. R. C. respondit iuxta votum Eminentissimi Ponentis, nempe quod in exclusione duplicis praecedentis transferendi, in diem lunae immediate sequentem non impeditam debet fieri officium de semiduplici, quod occurrit in Dominica infra octavam non privilegiatam; *quia eo casu talis dies est assignata pro dicto semiduplici.* „

Raro S. R. C. solet rationem reddere suae responsionis, et hoc casu mentem suam perbelle exprimit. Res est profecto maxima animadversione digna; hinc audiatur Cavalerius, dictum Decretum illustrans (*T. 2, c. 20 dec. 4*): " I. En rationem validam, ob quam semiduplex incidens in Dominicam infra octavam, reponi debet in die immediate sequenti in exclusionem cuiuscumque duplicis licet primae classis et praecedenter translati, quaeque argumenta omnia, quae in contrarium adduci unquam possunt, vel excogitari, penitus enervat et dissipat: *Quia eo casu talis dies est assignata pro dicto semiduplici;* hoc enim ipso, quod ea feria est illi assignata, in hac accidentariam subit immutationem,

in eaque censetur occurrens, unde ab eadem quodcumque translatum abigit. Cui assignationis fortasse favent ea verba Rubricae de Tran.lat. n. 5: *Transfertur in sequentem diem non impeditam.* „

" II. Privilegii autem haec est ratio. Ne a frequenti semiduplicium translatorum, quae ceteroquin eiusdem ritus sunt cum die infra octavam, nimis de facili obruerentur octavae, ab his illa reiecta fuere, solo reservato casu diei proximae sequentis, ad quam *ius quoddam vicinitatis habent.* Quae reservatio ne in irritum recideret ob duplicia translata, sequens dicta dies *ut propria* fuit in iisdem assignata, quia alias horum repositio usque post octavam differri deberet, ubi duplicia adhuc locum habent in qualibet die infra octavam, et nonnisi per accidens, ratione scilicet totius octavae, per Festa impeditae, ultra octavam protrahuntur. „

Nimis prolixi essemus, si omnia S. R. C. Decreta in medium proferre vellemus, quibus hos principium recognoscitur et statuitur, quod Festum in crastino celebratum, tamquam in sua die habetur. Hinc, ex. gr. in Hymno *Iste confessor* dicendum est *meruit beatas* ad Matutinum et secundas Vesperas quando Festum alicuius Sancti Confessoris a die sua natalitia in proxime sequentem transferri per accidens vel perpetuo contingat. Ita S. R. C. die 13 Iunii 1899 n. 4033.

Similiter advertendum est, quod ex Rubricis specialibus Festa Purificationis et Annunciationis B. M. V., S. Ioseph, et S. Ioannis Baptistae, et Pretiosissimi Sanguinis D. N., si sua die impediantur, celebrari debent in proxime sequenti die, licet occurrat aliud festum, non tamen dignius aut nobilius, tamquam in sede propria. Eodem privilegio gaudebat Immaculata Conceptio, quando ritu II classis recolebatur; et adhuc gaudet Nativitas B. M. V. in Diaconia S. Hadriani, ubi celebratur die 9 Septembris licet occurrat Romae Festum duplex, ut habetur in Decreto S. Rituum Congregationis n. 3876 ad 4.

Ex quibus dispositionibus liquido profluit Ecclesiam semper reputasse, et nunc quoque reputare, diem proxime sequentem, tamquam sedem subrogatam, sed adhuc *propriam*.

Quod facile intelligitur; compertum est enim Festa duplicia et semiduplicia binas vesperas habere. Ecclesia Christi, quae mosaicas leges perfecit, in celebratione Festorum illud divinum retinuit praeceptum: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra (Lev. 23, 32)*. Hinc, sicut Iudaei in sero parasceve, quod est interpretatum praeparatio sabbati, nullum opus excercebant, quia iam Festum inceptum erat, ita et Christiani, testante Gregorio papa IV (a. 833) Festa sua, seu ferias, observabant a vespera ad vesperam... ut habetur in decretalibus Gregorii IX (*Tit. 9, de feriis*). Deinceps vero, licet onus praecepti festivi inceptum fuerit a media nocte Sabbati, usque ad mediam noctem diei Dominici, ut in foro civili, nihilominus quoad leges liturgicas antiqua computatio religiosissime servata est usque in hodiernum diem.

Et bene, ait Gavantus (*sect. 4, c. 5, n. 2*), quia " magnitudo Festi exigit ut citius inchoetur, hoc est a primis vesperis, et tardius absolvatur, idest ad secundas. „

Festa quoque simplicia, licet non habeant secundas vesperas, duobus in diebus naturalibus celebrantur; ideoque hodie ex. gr. habent primas vesperas, cras vero ceteras horas usque ad nonam inclusive.

Dies porro ecclesiastica longior est quam dies naturalis: ideoque quando Festum aliquod in crastinum celebratur, primae eius vesperae locum tenent secundarum eius, si in sua die celebratum fuisset. Igitur Festum in crastinum celebratum adhuc est in sua ecclesiastica die, in qua saltem habet primas vesperas.

Quibus expositis, nimis nos audere existimet nemo, si propositionem, novam quidem primo obtutu, antiquam vero quoad Ecclesiae sensum, proferimus.

Privilegium quo gaudent adhuc Festa Purificationis et Annunciationis B. M. V., S. Ioseph et S. Ioannis Baptistae, ac pretiosissimi Sanguinis D. N. ut celebrentur tamquam *in sede propria* in crastinum, translato alio Festo aequalis ritus, non tamen nobiliori, tribuatur omnibus Festis duplicibus I et II classis.

Quamquam ex professo nemo ex liturgicis scriptoribus umquam protulit huiusmodi propositionem, nihilominus plus minusve duo, et quidem celeberrimi, ad eam proxime accesserunt, Gavantus nempe et Guyetus. Hinc est propterea, quod nos maiori et tutiori animo eam hic exponimus, sperantes fore ut facilius lectores nostri illam faustis oculis sint accepturi.

Gavantus (*sect. 3, c. 10, n. 1*) ait: " Quaesitum est aliquando, quid agendum esset in Ecclesia Regularium, in qua occurrebant duo Festa eodem die, Patroni Principalis loci, et Titularis Ecclesiae illorum Regularium. „ Et postquam dixerit agendum esse de loci Patrono, subdit: " quod si quotannis hic accidat occursus, assignanda erit dies sequens in perpetuum, Titulari illius Ecclesiae. „

Sed melius et clarius, in sua Heortologia (*lib. 4, c. 8, q. 6*) hanc quaestionem sibi proponit Guyetus: " In quam diem transferri oporteat duplicia primae classis? „ respondit iuxta Rubricas, nempe in primam diem liberam; et sequitur dicens: " Et haec quidem certa sunt ex Rubricis; dubia vero quae sequuntur. Primo, an Festum Patroni seu Dedicationis aut aliud simile, quod usu proprii loci consuevit transferri... *in proxime sequentem diem*... an inquam, debeat festum illud fieri tali die, translato alio duplici aut semiduplici, quod eadem quoque die occurrerit? Respondeo usum *eiusmodi posse retineri*, ob eam maxime causam, quod talis translatio non tam censenda sit translatio quam mutatio, haud illa perpetua quidem, sed ordinaria in tali casu, in eo loco et *tali anno est dies propria praedicti festi*. Imo seclusa etiam

festivitate publica... aio consuetudinem eiusmodi, *utpote laudabilem posse retineri.* „

" Quam ego argumentationem in eo potissimum casu valere contendo, in quo Festum solemne longius esset differendum, propter occurrentiam Festi alicuius inferioris recenter inducti, v. g. Festum S. Ioannis ante Portam latinam, quod est 6 Maii, occurrens in die Ascensionis Domini, transferebatur alias in sequentem proxime diem nempe 7, nunc vero, cum dies ille 7 occupetur Festo S. Stanislai a Clemente VIII addito, reiiciendum est predictum Festum S. Ioannis... quod sane incommodum valde est ecclesiis, in quibus Festum illud sic impeditum consueverat olim postridie celebrari. Unde si suam illam antiquam consuetudinem retineant, *nonnisi laudabiliter mihi facere videntur.* „

Iuxta ergo clarissimum Guyetum, Festum ex solemnioribus decet celebrari in crastinum, cum impediatur.

Item, privilegium quo gaudebat semiduplex occurrens in Dominicam infra octavam, ut celebraretur feria II, si libera erat, tribuatur duplicibus maioribus et minoribus ac semiduplicibus, ita tamen, quod si dies proxima libera non sit, tunc duplicia minora et semiduplicia eo anno in sua die commemorentur aut penitus omittantur iuxta Rubricas; duplicia vero maiora et doctorum Ecclesiae, ulterius transferantur.

Haec nostra propositio si S. R. C. placeret, nonnulla corollaria induceret, valde rationabilia et congruentia, ac lex translationis facillima evaderet.

1° Quia non omnino periret aliquod Festum duplex vel semiduplex.

2° In Quadragesima praesertim non amplius obveniret, quod celebretur officium Dominicae cum commemoratione occurrentis duplicis vel semiduplicis, et in crastino, officium votivum, vel feriale.

3° Non amplius opus esset privilegio quod concessum

fuit duplicibus I et II classis, cum impediuntur, et locus non in anno superest, ut celebrari queant in diebus a Festo semiduplici aut duplici impeditis. Quod id fiat quando duplex I classis celebratur in crastino, nihil est contra ius, agitur enim de *Festo* quod adhuc in sua die substituta celebratur; quando vero transfertur longius in Festo semiduplici, agitur vere de *officio translato* quod occupat *festum* diem alterius Sancti; hoc autem nisi ex necessitate concessum fuisset, sub forma privilegii, conforme non esset legibus et principiis liturgicis.

4° Neque amplius opus esset recurrere ad regulam, pro Festis octavam habentibus, iuxta Decretum n. 3853, quod nisi legitima interpretatione illustretur, non pauca inconvenientia aliqui ab eo deducunt.

5° Leges translationis novae, post Breve *Nullo umquam* in Rubricis inductae, starent omnino, et paucis verbis adiectis, propositio nostra, si S. R. C. placeret, facile inseri posset (1).

TEXTUS.

6. Si duo vel plura Festa novem lectionum simul eodem die veniunt (403), fiat officium de maiori (404), idest de duplici, et de semiduplici fiat commemoratio ut supra (405). At si omnia fuerint duplicia, vel omnia semiduplicia, fiat de digniori seu solemniori (406), videlicet, de Festo potioris ritus

(1) Ex. gr. haec verba addenda essent: *Duplicia I et II classis cum impediuntur, recoli debent in proxime sequenti die tamquam in sede propria, translato alio officio inferioris ritus, aut commemorato, aut omisso iuxta Rubricas; duplicia vero maiora et minora, ac semiduplicia, similiter impedita celebrantur in die proxime sequenti, si est libera, tamquam in sede propria; si vero libera non sit, duplicia maiora et doctorum transferuntur*

prae alio ritus inferioris (407) aut in paritate ritus de primario prae secundario (408), aut iisdem primariis vel secundariis, de digniori ratione personae (409), aut, in paritate dignitatis de fixo prae mobili (410), aut denique, ceteris paribus, de magis proprio prae minus proprio (411), et quae duplicia minoris solemnitatis sunt (412), si transferri valeant transferantur, aliter de eis, quemadmodum de semiduplicibus, fiat commemoratio aut penitus omittantur iuxta superius dicta (413).

(403) *Si duo vel plura festa novem lectionum simul eodem die veniunt...* Haec locutio: *si duo vel plura* evidenter probant hic agi de occurrentia non tantum accidentali sed et de perpetua; siquidem occurrentia accidentalis obvenire nequit nisi inter duo officia, unum mobile aliud fixum. Verumtamen ultimis hisce temporibus ex concessione festorum mobilium, quae quibusdam Dominicis sunt affixa, occurrentia accidentalis quandoque dari potest etiam inter tria officia. Ex. gr. Decreto d. d. 14 Iunii 1893 S. R. C. concessum est petentibus novum officium Sacrae Familiae Dominica III post Epiphaniam celebrandum. Cum autem anno sequenti 1894, haberetur epacta XXIII, et littera dominicalis G, necessario Dominica Septuagesima occurrebat die 21 Ianuarii quae pariter erat III Dominica post Ephiphaniam. Ecce tibi tria officia simul eadem die accidentaliter occurrentia nempe Festum

ut supra, reliqua duplicia minora et semiduplicia commemorantur eo anno, die in quo occurrunt, aut omittuntur ut dictum est.

Rogamus lectores ut hanc propositionem diligenter expendant, et suum quisque sensum ad nos pandat, si quid adversus eam habent, candide dicant, ut ex consilio plurimorum videatur an revera ad S. R. C. sit proferenda.

S. Agnetis die 21 Ianuarii fixum, Festum S. Familiae eidem diei Dominico assignatum, et Dominicae Septuagesimae (1).

Quum vero haec Rubrica iam legebatur sub Clemente VIII, quando scilicet huiusmodi Festa Dominicis affixa non habebantur, saltem in mensibus Ianuario, Februario, Martio et Aprili, in quibus maxime obveniunt officia mobilia, omnino comprobatur quod eadem Rubrica facta est pro omnibus casibus occurrentiae, tam accidentalis quam perpetuae. Hoc valde considerandum est, quia reformatio Rubricarum ita peracta est, ut casus respiciat occurrentiae accidentalis tantummodo, et sic item tabellae occurrentiae, modo quo nunc iacet, non valet nisi pro occurrentiis pariter accidentalibus, ut suo loco videbimus.

Ergo, quando Rubrica dicit, *si duo vel plura Festa simul eodem die veniunt*, loqui voluit de occurrentiis etiam perpetuis. Compertum est enim, quotidie dari occurrentiam plurium Festorum; lege Martyrologium, et videbis una eademque die quot Festa occurrant. Exemplum habe: Die 25 Maii occurrunt in Breviario Romano tria Festa, nempe S. Urbani I, Pp. Mart. *simplex*, S. Gregorii VII, Pp. Conf. *duplex minus* et S. Mariae Magdalenae de Pazzis *duplex minus*. Haec est occurrentia perpetua, et trium Festorum. Pro Clero autem Romano quartum additur eo die, nempe S. Bonifacii Pp. IV.

Itaque hisce in casibus, quoniam unum tantum Festum celebrari potest, et alia transferri debent, hic dicitur quomodo translatio sit agenda.

Loquitur Rubrica de *Festis novem lectionum*, nempe de duplicibus et semiduplicibus, quia de Festo simplici non datur unquam translatio, ut infra dicetur (*Tit. hoc, n. 8*).

(404) ... *fiat officium de maiori*... scilicet, Festum eo die agatur de nobiliori, ratione ritus maioris.

(1) Singulare prorsus et inauditum eo anno 1894 datum est novo Festo Sacr. Familiae, privilegium, licet sit ritus *dupl. mai.* ut celebraretur cum commemoratione Dominicae Septuagesimae.

(405) ... *idest de duplici et de semiduplici fiat commemoratio, ut supra.* Prima ergo ratio pro dimentienda officiorum excellentia est ritus superior, exceptis nonnullis diebus privilegiatis, de quibus agitur suis locis. Haec quoque Rubrica emendata fuit; et quia antiquitus dicebat semiduplex esse transferendum, nunc decernit fieri de eo commemorationem. Verumtamen uti patet, sic melius corrigenda erat, quasi diceret: *et de semiduplici fiet commemoratio, aut translatio, prout supra declaratum est.* Tunc haec Rubrica pro utraque occurrentia valeret accidentali et perpetua.

(406) *At si omnia fuerint duplícia, vel omnia semiduplicia fiat de digniori seu solemniori.* Diversimode liturgici scriptores hanc Rubricam interpretati sunt. Audi cl. Augustinum Caprara, olim Fidei promotorem apud S. R. C., in suo voto *de Festis primariis, et secundariis* (Decr. auth. S. R. C. *vol. IV, pag. 383*), ubi legitur: *Prae oculis habens tria vota* (illa nempe quae S. R. C. super eadem quaestione porrecta sunt) *cum admiratione video quemque diverso modo hunc textum interpretari. In primo* (a R. P. Foppiano O. S. B. exarato) *defenditur quod verba Rubricae:* fiat de digniori, seu solemniori, *duas speciales praeferentiae regulas exprimunt; idest potioritas ritus, et potioritas dignitatis personalis. In secundo* (quod erat R. P. Schober Cl. Reg. S. Redempt.) *autem illa eadem verba intelliguntur, quasi unum idemque signent, et utrumque verbum* dignitas *et* solemnitas *sit quasi synonimon. Auctor vero tertii voti* (quod tunc nos ipsi evulgavimus, V. *Ephem. Lit.*, anno 1888, pag. 593-637) *scribit:* " *Nos duabus illis locutionibus fiat de digniori, seu solemniori, duas distinctas qualitates intelligere voluisse putamus (nempe Rubricas) ad fundamentum praeferentiae super illas ponendum.* „ *Mihi videtur, veram Rubricae interpretationem hanc ultimam esse, et locutiones* dignior seu solemnior *duas distinctas, etsi acquivalentes, rationes praevalentiae indicare,*

idest, vel dignitatem, *vel* solemnitatem *Festorum, in paritate ritus et classis.*

Tanti viri auctoritas in tuto ponit sententiam nostram, quam hic clarius exponimus.

Scimus, aliquos esse liturgicos doctores, qui allatam Rubricam exponentes dicunt, verba illa *fiat de digniori seu solemniori,* intelligenda esse quasi unum et idem, accipiendo vocem *seu,* in sensu declarativo, quasi *idest;* nihilominus, cum verba Rubricarum inutilia esse dicere nefas sit, usque dum competens auctoritas contrarium doceat, nos duabus illis locutionibus *fiat de* DIGNIORI SEU SOLEMNIORI, duas distinctas festorum qualitates intelligere voluisse putamus, ad fundamentum praeferentiae super illas ponendum.

Et reapse, bene consideranti Rubrica ipsa argumentum porrigit pro nostra sententia; subiicit enim: *et quae minoris solemnitatis sunt, transferentur.* Curnam hic qualitatem *minoris dignitatis* non repetit Rubrica? Quia, aiunt adversarii, qualitas dignitatis et solemnitatis, una et eadem est in casu, ideoque per synonimiam, unam vocem tantum hic adhibuit. Nequaquam, nos subdimus, etenim verba "*minoris dignitatis*" hic omisit Rubrica, praecise quia diversum sensum habent ab aliis "*minoris solemnitatis;*" quasi diceret: Si festa sint eiusdem ritus, fiat de digniori seu solemniori; si autem unum sit *dignius* et aliud *solemnius,* illud quod est *minoris solemnitatis* transferatur, nulla habita ratione, in hoc casu, ad maiorem istius dignitatem.

Et bene; alioquin si utramque locutionem, *minoris dignitatis et minoris solemnitatis,* hic Rubrica adhibuisset, ratio praeferentiae defecisset, ut patet. Quod autem ita sit intelligendus hic locus Rubricarm, argumentum magni ponderis nobis praebet P. Meratus *(Not. ad Gavantum sect. III, c. 10, n. 13),* qui ait: *Infertur secundo certum pariter esse, quod in praeferentia festorum, in primis habenda est ratio*

MAIORIS SOLEMNITATIS: *dignitatis autem maioris solum est habenda ratio in* AEQUALITATE SOLEMNITATIS.

Et paulo inferius: *Non videtur inordinatum quod festum tertii ordinis praeferatur ratione* MAIORIS SOLEMNITATIS *alteri eiusdem ordinis aequali, aut etiam* DIGNIORI, *ob celebritatem seu* SOLEMNITATEM MAIOREM, *quam alicubi habet in populo, vel in Ecclesia, seu in choro; et ratio est quia* IN PRAEFERENTIA FESTORUM IN PRIMIS HABENDA EST RATIO SOLEMNITATIS; DIGNITATIS AUTEM NONNISI IN AEQUALITATE SOLEMNITATIS.

Nec minus aperte locutus est clarissimus Gardellinius in notis ad S. R. C. Decretum d. d. *4 Iunii 1817, Conimbricen.*, n. 4538 *(Vol. 3, pag. 92, Edit. Capalti)*, qui docet: *Qrdo servandus est in celebratione Festorum, dum plura simul eadem die occurrunt. Nedum petenda ratio est a solemniori ritu, vel e sublimiori dignitate, verum etiam* A PARTICULARI RELATIONE, *quam festum habet ad Ecclesiam, vel locum, ubi celebratur. Quamobrem iure S. R. C. hanc servandam regulam dedit .....*

Ergo, iuxta Rubricas eiusque commentatores celebriores compertum est enim Gardellinii sententias apud S. R. C. maximopere acceptas iugiter fuisse et esse), qualitas *maioris solemnitatis* ita festivitates extollit, ut in occurrentia aliis eiusdem ritus, quamquam dignioribus dignitate intrinseca, praeferantur.

Ut autem haec nostra sententia magis confirmetur, nobis hic placet referre, quae ad rem scripsit cl. Caprara *(loco citato)*.

" Id primum demonstrat ratio philologica et grammaticalis; particulam enim *seu*, numquam adhibuerunt latini scriptores ad significandam *synonimiam* vel identitatem duorum verborum quae ab illa particula coniunguntur; verum etiam in sensu *dijunctivo*, ad significandam differentiam verborum, quamquam sint aequivalentia. Verbum *seu*, idem

est ac *sive vel;* et sane scribit Tursellinus: " *seu* ex *sive* contractum est. „ Et Forcellinus ait: " *seu* coniunctio disiunctiva, qua iungimus ea quorum alterum non utrumque affirmamus. „ Ita Cicero *(Pro Quint: c. 8): Quaemadmodum solent homines nobiles, seu recte seu perperam facere ceperint, in utraque excellunt.* Plautus *(Stich. A. 3, sc. 1): Sive ego taceam seu loquar, scio scire te.* Paulus *(Leg. 8, ff.* Quod metus): *Si dederit (actionem) vir, seu mulier, hoc edictum locum habet.* Iul. Caesar *(De bel. Gal. l. 5, c. 30): Facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur.* Horatius *(Lib. 1 ad. 3): Tollere seu ponere freta.* Nemo quidem dicet synonima esse: " *recte* et *perperam, taceam* et *loquar, vir* et *mulier, manere* et *profiscisci, tollere* et *ponere.* „

Inde, postquam retulerit sententiam cuiusdam viri periti in re legali, qui profitetur numquam invenisse particulam *seu,* adhibitam pro *scilicet;* et si forsam aliquis hoc sensu eam adhibuit, nihil id refert, quia canon est ermeneuticae, censere auctorem verbis usum fuisse in sensu eorum proprio, prosequitur:

" Ita doctoris Celsi referunt sententiam: *in ambigua voce legis, ea potius accipienda est significatio quae vitio caret.* „

Quod eo magis retinendum est, quia in lingua liturgica particula *seu* accipitur in sensu disiunctivo, et non identitatis. In Rubricis passim legitur: *in die obitus* seu *depositionis defuncti; nisi illud fuerit I classis* seu *Patronus . . .; pontificali* seu *sacerdotali fecisti dignitate vigere; Pontificum* seu *Sacerdotum.* Et sic facile multiplicari possent huiusmodi citationes. Certum est *dies obitus* idem non esse quam *dies depositio- nis; Pontifex* non est synonimus *Sacerdotis* in casu etc. Hinc concludendum est, quod Rubrica duas voluit rationes praelationis ponere, in paritate ritus, et non unam; scilicet *dignitatem* et *solemnitatem* festorum. „

Nostra ergo sententia a tanto viro comprobata, in tuto posita est.

(407) *Videlicet de festo potioris ritus, prae alio ritus inferioris.* Evidenter hic agitur de diversitate *gradus* in eodem *ritu duplici,* vel *semiduplici.* Nam antea dicitur, *at si omnia duplicia, vel omnia semiduplicia.* Namquam Rubricae verbo *ritus* utuntur in sensu, quem habet hic locus novissime emendatus. Omnia enim festa quae habent ritum *duplicem* revera eumdem habent *ritum,* sit I,. vel II clas. sit mai. vel min. Nihilominus ex usu scriptorum minoris notae, et calendariorum redactorum, saepe saepius accipitur ex. gr. duplex I clas., quasi sit *diversi et potioris ritus,* quam dupl. II clas. Dum rectius dici debet ritum *dupl.* in varias classes et ordines distingui. (Vide quae docuimus in principio huius nostrae expositionis).

Quibus explicatis; hoc sensu accipienda est haec Rubrica, nempe, praeferendam esse dupl. I clas. prae dupl. II clas. et hoc duplici mai., ac istud duplici min. habito quoque respectu ad diversitatem ordinis cuiuscumque festi. Et similiter dic de semiduplici.

(Continuabitur)

Doct. Petrus Piacenza.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio*. V. num. 8, pag. 522-526).

Diximus *Romae saltem* (*) nullam pati exceptionem regulam de Missis non celebrandis ad Altare expositionis, in forma XL Horarum, eo quod nulla extet Ecclesia ad illam destinata, quae conditionibus careat ab Instructione requisitis; dum extra Urbem, etiamsi obligatio Instructionis observandae ab Episcopo imponeretur, dari posset vel *gravis causa*, vel absoluta necessitas, v. gr. si unicum extaret Altare, aut alterum in quo celebrari deberet ita situm foret, ut fideles ad illud conversi, irreverentiam in SS.mum Sacramentum irrogarent.

Nullam tamen habere amplius vim hodie putamus limitationem, quam ponit Cavalerius, cui subscribit Gardellinius, non tantum pro diebus festivis de praecepto, sed etiam pro diebus ferialibus, quod nempe si praefatum incommodum timeatur, possit tantummodo *una* vel *altera Missa* celebrari ad satisfaciendum devotioni et votis populi; non enim putandum est melius esse a Missis coram SS.mo celebrandis abstinere, quam frequentius praelaudatis, et fovendis nos addimus, devotioni et votis satisfacere. Et ceterum, nemo

(*) Haec verba, omissa in praeterito num., p. 525 prope finem, locum habere debent post: " non utique „.

amplius nunc obligat Sacerdotes et fideles aliam petere Ecclesiam, esto viciniorem, si in illa in qua locum habet expositio unicum extet Altare.

Quoad Missas lectas, observandum est cum omnibus Liturgistis, magis adhuc urgere rationem prohibitionis in casu; quippe quae minus congruunt solemnitati eius temporis. Optime quidem animadvertit Gavantus: " Missa privata *quamparcissime* celebranda erit in Altari in quo sacra Eucharistia est exposita (in *Rub. Miss., p. II, Tit 14, n. 17).* "

(33) " Publica atque solemnis expositio Eucharistiae pro Oratione quadraginta Horarum per gyrum, ait cl.mus Tetamus, cum pertineat ad bonum commune, inter illas publicas causas graves adnumerari solet, ex quibus liceat Missam votivam solemnem celebrare, etiamsi occurrat Festum Missam votivam excludens. Verum debent excipi dies omnes quos excipit Instructio Romana Clementina § 12, cum, ut animadvertit Cavalieri, Ecclesiae extra Romam plus privilegii, in occasione expositionis non possit rite excogitari concessum, quam competat Ecclesiis Urbis pro solemni Oratione XL Horarum. "

Missa igitur quae canitur in Expositione et in Repositione erit *votiva*, illo videlicet formulario celebrata, quod in fine Missalis invenitur; non autem adhiberi potest formularium Missae solemnitatis *SS. Corporis Christi* (S. R. C. *Notanda...* **1332**-*2362*, n. 7, d. 13 Febr. 1666). At si Expositio aut Repositio incidat octava durante solemnitatis praedictae, tunc Missa huius propria dicitur, absque Commemorationibus et Collectis, etiamsi octava non gaudeat potiori privilegio quam in Ecclesia universa, ac proinde duplex quoque minus vel maius occurrat (Cfr. *loc. cit.* et Decr. **3574**-*5871*, ad V, d. 18 Maii 1883).

Missa votiva dicitur semper cum unica Oratione, cum *Gloria, Credo* et Praefatione de Nativitate, *quia solet esse*

publica causa (S. R. C. *loc. cit.*, n. 8). Ex hac S. Con.gnis declaratione et ex verbis ipsis Instructionis nos deducimus, *extra Urbem*, ubi Expositio XL Horarum non est perennis sed interdum tantum locum habet in anno, Missas Expositionis et Repositionis regulas communes Missarum votivarum *pro re gravi* et *publica Ecclesiae causa* sequi posse, ita ut excludi debeant tantummodo Dominicae I classis, Festa duplicia pariter I classis, Feria IV Cinerum, feriae maioris Hebdomadae, Vigilia Pentecostes et Vigilia Nativitatis Domini, non alii dies, ut inferius dicetur. Limitationes maiores putamus factas esse ex ratione perennitatis Orationis; res enim quae passim accidunt nativam quasi gravitatem amittunt.

Unde cum Cavalerio et Tetamo plane convenimus si etiam extra Urbem Oratio perenniter instituitur instar Romae, non autem si rarius locum habeat.

Quaestio olim oriebatur, an in Ecclesiis, quae ad Missam Conventualem non tenentur et in quibus nulla alia celebratur Missa, die Expositionis et Repositionis SS.mi Sacramenti, in Missa votiva addenda foret Commemoratio de *occurrenti Festo* etc. Sed hodie, post Decretum generale § II, n. 3, res in tuto est posita, et hoc tenendum: " In Missis votivis solemnibus *pro re gravi* unica dicenda est Oratio, *etsi una tantum cantetur* Missa. „ Nec prodest obiicere, supponi hic posse aliam Missam *lectam* celebrari, quia S. Cong.tio dixisset hoc in commate, quemadmodum dixit in alio § IV insequentis, ubi sermo est de Missis votivis solemnibus non *pro re gravi* et ex causa non publica celebrandis, tunc praecipiendo: " Si de Festo currenti *prius alia Missa celebrata non fuerit*, in Missa votiva addantur tam Oratio diei quam aliae occurrentes. „

Tempus Missae huius votivae canendae post *Nonam*, iuxta communes regulas, assignatur; cui tempori amandanda est et Missa Conventualis, quae loco votivae canitur diebus infra exceptis, de quo dubitandum non esse censeo, eo quod

haec Missa votivae vices tenet, et instar votivae celebratur; ab Instructione implicite huic tempori reservatur, cum nihil amplius habeat inferius, et romana praxis demum concordet. Adverte, quod si post *Nonam* celebranda sit alia Missa, v. gr. Conventualis de feria, haec prius dicenda est ultimo loco votiva de SS.mo Sacramento (Cfr. Decr. **2058**-*3564*, S. R. Cong.nis *Urbis*, d. 22 Maii 1700), nihili faciendo opinionem cl.mi Cavalieri, qui Missam de die, quae dici debet post *Nonam*, putat dici posse post *Sextam*.

Quid erit agendum occurrente Festo ritus duplicis I aut II classis in feria maiori? Num, impedita Missa votiva de Ss.mo Sacramento, Missa expositionis vel repositionis celebranda est de Festo, an potius de feria? In Ecclesiis ad binam Missam Conventualem non obligatis nulla quaestio, fiet Missa de Festo cum commemoratione Ss.mi Sacramenti sub unica conclusione. In Ecclesiis ad utramque obligatis non sic. Missa solemnis, in casu, ut vidimus, celebranda esset post *Nonam;* sed hinc duplex exurgit difficultas: aut celebratur ultimo loco Missa de Festo, en inordinatio, quod prius cantetur Missa ferialis; aut celebratur pro expositione vel repositione Missa de feria, et tunc inconveniens quod in Festo solemni locum habeat solemnis functio, qualis est illa XL Horarum cum Missa poenitentiali. Huic inconvenienti obviam ire possemus concludendo Missam de Festo, suo tempore celebratam, scilicet post *Tertiam*, esse debere Missam functionis; sed quid inde?

Functione peracta, id est post meridien, dicendae essent aliae duo horae minores, et alia Missa solemnis de feria, quam inopportune nemo non videt. Unde cum ex tribus inconvenientibus minorem eligere fas sit, concludendum est Missam expositionis aut repositionis in casu, et in Ecclesiis ad binam Missa Conventualem obligatis, esse debere Missam ferialem. Utraque namque est conventualis, sed ista tempori congruit quo celebranda est, non illa. At dicetur, Missa,

quae nullo gaudet privilegio, ita privilegiata fieret, ut videatur Missam votivam solemnem excludere, quae nonnisi duplicibus II classis cedit?

Sed nihili facienda istiusmodi difficultas, namque et alia similia inconvenientia locum habere possunt, quae tamen non sunt consideranda. V. gr. Festum duplex I aut II classis ius nullum habet, ut, sua die impeditum, sedem occupet Festi ritus semiduplicis, sed ulterius locum quaerere debet; at pone, quod semiduplex istud infra octavam incidat Sanctissimi Corporis Christi, et tunc, indirecte Festum praefatum I aut II classis fruitur emolumento maturioris translationis, non obstante Festo semiduplici, quod diei infra octavam cessit.

Cum enim dies infra dictam octavam praevaleat semiduplici, et admittat translata I aut II classis, locum dat tali Festo, quod secus, Festo semiduplici libero exstante, locum habere nequibat. Hinc feria nullo per se gaudet in casu privilegio, sed omnino per accidens.

(Continuabitur).

I. B. M. c. M.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli, Archiepiscopus Myren., Vicesgerens

PROPRIETAS LITERARIA.

Romae. 1902. - Typ. Bodoniana, Hosp. vulgo "Tata Giovanni", *Piazza del Biscione, 95.*